De

# PARTICULARUM USU APUD CATULLUM.

---

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**EHRENFRIEDUS DUDERSTADT.**

SAXO-BORUSSUS.

HALIS SAXONUM

TYPIS E. KARRASIANIS.

MDCCCLXXXI.

Viri docti in rebus grammaticis tractandis, historicam rationem et viam iure ingressi, usum dicendi, et mutationes et proprietates linguae latinae variis reipublicae temporibus apud varios scriptores colligere, deinde collecta qua lege contineantur enucleare, tum ipsam legem ad causam revocare student. Hinc originem ducunt libri Holtzii et Draegeri, qui cum et totum amplecti et singula accurate legere, discere, scire, tractare unus homo nequeat, finem propositum non omni ex parte attigerunt. Quam ob causam commentariola illa, quae usum dicendi unius scriptoris examinant, suo tempore in lucem prodeunt. Quot scriptores tot scribendi genera. Indoles, qua quisque praeditus est, materies quam tractat, imprimis aetas, qua vivit scriptor, omnes ad formandum et fingendum proprium orationis genus permultum valent. Quis autem dubitet, quin ad scribendi genus conformandum plurimum valeant voces, quae inserviunt conjunctioni cum enuntiationum tum singulorum verborum. Genere autem scribendi unius cuiusque scriptoris accuratissime examinato, multo facilius erit de tota linguae latinae grammatica quaestiones instituere.

Praeterea vero emendationem scriptorum ejusmodi quaestione vehementer adjuvari, quis est qui negare velit? Nam in tantum via ac ratione mederi possumus traditae scripturae corruptelis, si accurate cognitum habemus, quid cum elocutione atque usu scriptoris consentiat, quid ab eo abhorreat. Necesse est igitur, monumentis quae scriptor reliquit cum industria pervestigatis, usum ejus dicendi quam accuratissime exponere. Quod si semper ante oculos habuissent critici, non tam pravae et futiles conjecturae nobis occurrerent, et

imprimis emendationes obiter ab editoribus propositae rariores essent. Atque eis quidem Catullianae elocutionis capitibus quae ad particulas pertinent, tractandis pauci modo operam dederunt. De particulis nonnulla ab Hauptio adnotatae sunt in libro, qui incribitur: Observationes Criticae [Lipsiae apud Weidmannos 1841] (Hauptii Opuscula T. I p. 73—142), praeterea Hupius in dissertatione sua (Hupe: de genere dicendi C. Valerii Catulli Veronensis. 1871. Monasterii) p. 36—38 hauc rem attigit. Accurata vero observatio cum adhuc deesset, idoneam ego materiam, de qua in dissertatione disputarem, reperisse mihi videbar. Consilium igitur mihi est via ac ratione pervestigare usum particularum Catullianarum, sed ita, ut ex copia particularum, — quas omnes excerpsi — in hoc libello de praepositionum modo usu agam, collecta et disponam et pertractem. Reliquam materiam a me collectam posteriore tempore et tractandam et edendam curabo.

In commemorandis singulis locis iis carminum numeris utar, quos Baehrensius in editione sua carminum versibus adscripsit. [Dissentit imprimis a ceteris de carmine LXVIII$^b$, sed si Baehrensii numeris quadraginta addideris, habebis numerum versus alicuius apud reliquos editores.] Ab textu ejus haud raro discedendum mihi videbatur, receptarum lectionum auctores nominavi. Baehrensius de Catullo optime meritus est; quod autem ad opinionem ejus attinet, codicem Oxoniensem optimum esse omnium codicum eumque solum omni a parte ab interpolatorum labe immunem, ut semper fere majorem fidem mereatur quam Germanensis, mihi id verum esse non persuasit. Bene de hac re disputaverunt Schwabius (Jenaer Literaturzeitung 1875 p. 513) Schulzius (Hermes vol. XIII p. 50 sqq.), Schmidtius (Literaturzeitung 1878 p. 207), Ellisius (Prolegg. ad editionem alteram Catulli). Sane codex O cum codice Veronensi propinquitate quadam conjunctus est; neque vero Baehrensius satis comprobavit ex ipso V eum descriptum esse. Nihilominus magni est pretii O. Rejiciendum autem est quod Baehrensius affirmat omnes codices, quibus signum ς dedit sine ullo esse pretio. Datanus quidem quem Lachmannus tanti aestimat „pessimus omnium

codicum" esse mihi non videtur. Praeterea usus sum editionibus Doeringii, Silligii, Lachmanni, Heysii, Schwabii, Muelleri, Westphali, Ellisii, Vahleni (Hauptii), librosque a viris doctis ad emendanda atque explicanda Catulli carmina conscriptos, quibus uti mihi licuit, diligenter adhibui.

Praeterire nolo silentio praestantissimum opus Ferd. Handii, quod inscribitur: „Tursellinus seu de particulis latinis commentarii", magno mihi emolumento fuisse. Carmina XVIII, XIX, XX, quae sine dubio spuria sunt, omnino omisi.

# I.

## Praepositiones cum accusativo conjunctae.

**I. Ad.** 1. Praepositio *ad* de motu et contentione in locum aliquem dicitur. Componitur ergo cum verbis movendi, appropinquandi aliisque, quorum similis est significatio: IX, 3 Venistine domum ad tuos penates fratresque anumque matrem? XXXI, 9 venimus larem ad nostrum. XXXII, 3 Jube ad te veniam. LXI, 18 venit ad Phrygium Venus judicem. LXIIII, 85 ad Minoa venit sedesque superbas. — In talibus enuntiatis exemplis enim pronomina personalia interdum pro domo in qua quis habitat collocari notum est, velut in c. LXIIII, 277 ad se quisque discedebant. — Cf. Ter. Eun. 612: eamus ad me.

Motus directio in rem aliquam significatur c. X, 1 ad suos amores visum duxĕrat XIIII, 13 ad tuum Catullum misti XIIII, 17 ad librariorum curram scrinia XLVI, 6 ad claras Asiae volemus urbes LXI, 3 rapis teneram ad virum virginem LXIII, 12 agite, ite ad alta nemora simul. LXIII, 20 sequimini Phrygiam ad domum, ad nemora (cf. LXVIII$^{b}$, 34 advenit Prot. domum; supra IX, 13 venistine domum LXVIII$^{b}$, 104 fragentem venit domum. Locus notabilis est propter adjectivum appositum: cf. Madv. Gr. lat. § 233). LXIII, 47 reditum ad vada tetulit LXIII, 52 ad Idae tetuli nemora pedem. LXIIII, 121 vecta spumosa ad litora Diae. XXVII, 6 ad severos migrate. LXVI, 63 cedentem ad templa deum. X, 26 volo ad Serapin deferri i. e. ad templum Serapis. Aemilius Baehrens scripsit: ad Sarapis (cf. Kühnast L. S. p. 71 qui falso putat hanc loquendi brevitatem inde a Graecis ad Latinos translatam esse). LXIII, 75 ad aures nova nuntia

referens. „Nuntiare ad aliquem" saepius invenitur, scriptor iter nuntii in animo habet. De Plauto cf. Brix. ad Pl. Capt. II, 2, 110, de Lucretio Lachm. ad L. IV, 568. — LXVIIIb, 48 ad sese Troia ciere viros v. 61 h. c. ad quam tum properans, sed: v. 46 h. c. si miles muros isset ad Iliacos. — In his quoque exemplis tantum notio statuenda est directionis, hostilem impetum praepositio *ad* per se indicare non potest, ut bene docuit Handius in Turs. I p. 85.

2. *Ad* terminum respicit ita ut idem sit atque *usque ad* quod interdum additum est.

IIII, 24 venit a mari hunc ad usque limpidum lacum. LXIIII, 3 nasse per undas ad fluctus Aeeteos XCV, 5 Zmyrna cavas Satrachi penitus mittetur ad undas. CXV, 6 Usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum. Huc referendum est: XXXIX, 2 ad rei ventum est subsellium i. e. selbst wenn ein Mensch schon auf der Anklageblank sitzt. Ellisius (Commentary on Catullus p. 107) demonstrat „ad subsellium venire" dici posse „of the defendant, often of the plaintiff or of the judges". Hoc igitur loco de defensore intelligendum erit. Attamen vulgaris notio, de qua supra dictum est (I, 1), hic quoque locum habere potest. Termini notio porro inest in c. XXXXIII, 3 Usque ad milia basiem trecenta. Paulo aliter res se haberet XXII, 4 si in verbis „milia aut decem aut plura perscripta" recte *ad decem* pro *aut decem* scripsisset Baehrensius; sed nos codicum lectionem servandam esse putamus.

3. De re dirigenda versus aliquam rem.

VI, 17 ad caelum vocare. Apud Virgilium legimus „ad caelum vocare" et Aen. V, 451 „it clamor coelo". (De hoc dativo vide Haase II p. 128). III, 10 ad dominam pipiabat[1]) LXI, 212 dulce rideat ad patrem. LXVII, 14 ad me omnes clamant. XXVI, 1 non ad Austri flatus (ad Favonei, Boreae, Apeliotae) opposita est villula i. e. in regione tali sita est, ut ventorum flatu molesto tangi non possit, cf. Hand. Turs. I p. 93 Draeger. I p. 576. Item XXVI, 4 verum ad milia quindecim et ducentos. — LXIII, 56 Cupit pupula ad te

[1]) De hoc exemplo cf. Hupii dissert. Monast. 1871 p. 36.

sibi derigere aciem — LXVII, 22 se mediam sustulit ad tunicam.

4. De quiete dicitur ita, ut locus vicinus significetur (pro praep. *apud*).

XXXIX, 4 ad pii rogum filii lugetur. XCV, 7 Paduam morientur ad ipsam. XXI, 6 haeres ad latus.[1]) — Cf. Pl. Amph. 504 adest ad exercitum, Ter. Heaut. 979 esse ad sororem. Pl. Merc. 328 est ad portum negotium. — Motus notio in his exemplis vix cerni potest.

Huc porro pertinet LXIII$^b$, 29:

ad quam communes exerceremus amores.

Codices versus 28 et 29 ita exhibent:

Isque domum nobis isque dedit dominam
Ad quam communes (G. comunes) exerceremus amores.

Structura horum verborum ut in libris manuscriptis traditur magna obscuritate laborat, quam ob rem in hoc versu interpretando varie inter se differunt viri docti. Plurimi autem eorum „ad" praepositionem pro „apud" esse positam consentiunt. „Quam" autem vocabulum alii (Santenius, Weisius, Heysius), de domo dictum putant, alii ad „dominam" referunt (Silligius, Doeringius, Ellisius). Et ante omnia quidem reicienda est Ellisii sententia, qui „dominam" non de Lesbia, sed de uxore Allii intellegit, quam amores Lesbiae et Catulli tueri dicit. „Domina" nulla femina, nisi Lesbia esse potest, cui sententiae v. 30 (cf. Ellisius) omnino non repugnat. Itaque „ad dominam" scil. Lesbiam idem esset, quod „apud Lesbiam". De hac re cf. Hand. Turs. I p. 95. Exempla ex Plauti et Terentii comoediis collecta vide apud Brixium Pl. Capt. Prol. v. 49: „ad auch bei Personen, wenn der Begriff des Ortes mitgedacht wird." Quid autem poeta his verbis exprimere voluit? Nonne clarius dixisset: cum qua comunes exerceremus amores? Praeterea, quo modo „comunes" interpretrari volunt? Nam Catullum et Allium „communiter" apud Lesbiam exercuisse amores, nemo putabit. Tolluntur hae difficultates, si „ad quam" coniungimus cum „domum", ita ut idem sit quod „apud domum". At recte se habet quod Kiesslingius (Ind. schol. Gryph. 1876 p. 16) affert: „quotus quisque relativum quod sequitur pronomen

non ad dominam sed ad domum spectare non admonitus sentiet?" Longius spatium contra legem inter pronomen relativum et substantivum intercedit (Cf. Ellisium qui duo modo similis generis exempla affert). Ut structuram verborum expeditiorem faceret Froehlichius (Münch. Acad. vol. V p. 264), quem sequitur Kiesslingius contra codicum auctoritatem scripsit: Isque domum nobis *atque* dedit dominae i. e. Is mihi et dominae (puellae) meae domum dedit, ad quam (in qua domo) comūnes amores (ego et domina mea) exerceremus. — „Dominae" etiam Baehrensius in textum recepit, servata scriptura „isque". Hoc modo omnes difficultates levavit. De „comūnis" voce cf. Lucret. IIII, 1195 et 1208: voluptas communis, comūnia gaudia etc.

5. De fine et consilio, quod nos dicimus: Zweck, Bestimmung.

X, 14 Comparasti ad lecticam homines; — negotium hominum praepositione *ad* significatur. — CI, 2 Advenio ad inferias i. e. eo consilio, ut inferias absolvam. — CI, 8 tradita sunt tristi munere ad inferias (hanc lectionem auctoritas optimorum codicum tuetur). LXI, 41 Audiens se citarier ad suum munus.

LXXVI, 4 ad fallendos homines numine abusum.

6. Appropinquandi notio invenitur iis locis, quibus conjunctio rerum significatur.

XXIII, 18 hanc ad munditiem adde mundiorem. Latini saepe dativum ponunt, ut Catullus. LXVI, 36: Asiam Aegypti finibus addiderat. Exempla qualia sunt: „huc adde" ubique obvia sunt. — De verbis LXIIII, 303 „niveis flexerunt sedibus artus", quae Handius non recte interpretatus est, cf. Kühnasti Liv. Synt. p. 174.

7. *Ad* rationem alicuius rei ad aliam indicat: X, 31 Quid ad me? scil. pertinet vel est (quid mihi usui est).

8. Verba composita: „adire, advenire" poeta noster cum praepositione *ad* non conjungit (cf. Kühnast. L. S. p. 145 Draeger I p. 376 Kühner Lat. Gr. II, I p. 199).

---

[1]) In pedestri sermone dicitur aut „haerere lateri" aut „esse ad latus" Haase, Vorles. II p. 73.

VIII. 16 Quis nunc te *adibit* (Identidem eodem sensu apud Plautum) LXI, 176 iam cubile adeat viri. Fleckeisenus exercitt. Plaut p. 40 haec habet: Familiaris Plauto est locutio „adeundi ad aliquem", perrara „adeundi aliquem". Porro vide Langen Beiträge etc. p. 101 „adire" si idem est quod „appropinquare" praepositionem postulat, si significatur „alloqui" accusativum secum habet. Aliquantum ab hoc verbo differt „aggredi", de quo disserit Langen p. 100. — Praeterea LXIII, 3. 30. 54. 87 — de LXVIII$^b$, 34 *„advenit* Protesilaeam Laodamia domum" vide supra. Verba transitiva sunt praeterea: LXI, 163 *annuit* anilitas omnibus omnia De verbi „adnuere" apud Plautum usu disputat Langen p. 112 Significatio ejus est: bejahend zuwinken. Porro vide Haase Vorles. II p. 52 ubi demonstrat verbum „adnuere" tantummodo cum neutro adjectivi vel pronominis componi posse. LXIII, 49 patriam *allocuta* est. LXIIII, 67 omnia quae *adludebant* fluctus. LXV, 6 *alluit* unda pedem. Haec verba interdum, cetera verba cum „ad" compp. semper, aut substantivo nullo addito inveniuntur, aut cum dativo conjuncta usurpantur. Silentio praeterire non licet: CI, 2 *advenire ad*, de quo loco supra vide No. 5. LXVIII$^b$, 24 „nautis lenius aspirans, aura secunda venit", ubi dativus *nautis* non ad *aspirans*, ut Draegerus I p. 412 vult, sed ad *venit* pertinet, denique LXVI, 40: Adjuro teque tuumque caput, item v. 41, ubi *per tuum caput* exspectamus, sed conferas locum in Verg. Aen. XII, 816 „Adjuro Stygii caput implacabile fontis". Catullus Callimachi versum in memoria habuisse videtur: *σήν τε καρήν ὤμοσα σόν τε βίον.*

**II. Apud:** Praep. *ad* appropinquationem, contra *apud* propinquitatem rerum significat.

1. De domo dicitur. XIII, 1. Cenabis bene apud me. *Ad* simili in significatione plerumque de loco, *apud* modo de personis usurpatur.

2. *Apud aliquem esse* idem est, quod *locum habere apud aliquem,* ita pro *alicui esse* dici potest:

LXVIII, 33 non magna est copia apud me.

3. De vicinia rerum dicitur:

LXIII, 53 ut apud nivem et ferarum stabula forem.

**III. Prope:** Praepositio *prope* cum loci notione usurpatur a Catullo pro *ad* vel *apud*, id quod Germanis est: neben, nahebei; contrarium est *procul*.

XXXIV, 7 Quam mater prope Deliam deposivit olivam LXIII, 88 prope marmora pelagi. LXVIIIb, 58 non inter nota sepulcra, nec prope cognatos compositum. LXVIIIb, 69 Pheneum prope Cylleneum — solum.

Adverbium pro *fere* semel est: LXIV, 167 Ille autem prope iam mediis versatur in undis.

**IIII. Propter:** Idem significans quod *prope* semel praepositionis potestate apud Catullum legitur: LXIV, 281 propter fluminis undas aura parit flores: neben etc.

Ad significandam causam poeta nec *propter* nec *ob* nec *causa* adhibet. XIV, 2 „munere isto te odissem" germanice: für oder wegen d. G. Praeterea cf. LXI, 110. XXXI, 12. XCVI, 6. XX, 17. De usu ablativi pro praepositione „ob" vel „propter" cf. Haase Vorless. p. 180.

**V. Juxta:** LXVI, 66 cod. V (Baehr.) *juxta licaonia* habet, cuius auctoritate commoti Lachmannus: *juxta Lycaonida*, Rossbachius, Ellisius *juxta Lycaoniam* legendum esse putaverunt. Sed haud sico an non contra codicis lectionem cum Heysio, Schwabio ceterisque editoribus melius scribatur *juncta Lycaoniae* ex Partheni conjectura, qui ita metri rationi succurrere studuit. Nam aut dicendum est Catullum corripuisse ultimam syllabam in *juxtă*: sed talis correptio aptis exemplis comprobari non potest, nam simili modo correptum „contră" Ennii apud Varr. L. L. VII, 12 quod Ellisius affert vix nostro loco argumentum esse poterit; aut lenis ineunda est emendandi ratio. Lenissimum autem puto id, quod Parthenius conjecit. Cf. Ellisii ed. ad C. c. X, 26 et ad hunc versum annotationes.

*Juxta* de conjectura Heysius scripsit: CXV, 1 ubi codd. *istar* vel *instar* praebent, quam ob rem plerique editores *instar* receperunt, alii (Rossbachius, Schwabius) Muretum secuti *noster* scripserunt.

**VI. Praeter:** Praepositio *praeter* a Catullo de dignitate tantum vel praestantia usurpatur.

XXXVII, 17 praeter omnes une de capillatis. Draegerus

errasse videtur si locutionem *praeter omnes* non nisi apud Plautum et Horatium inveniri dicit (cf. Draeger H. S. I p. 601). — Eandem notionem rei praestantis invenimus IV, 4 impetum praeterire; in ceteris verbis compositis notio loci inest. Ex locali notione (an etwas vorbei, über etwas hinaus) certe significationes de re excedente, de exceptione, de re praestanti derivandae sunt.

Praemissa negatione et interrogatione *praeterquam* legitur LXXXI, 3 Nemone potuit esse-praeterquam iste tuus hospes.

Cum accusativo verbum comp. *praeterire* III, 4 conjungitur. Cf. Draeger S. I p. 381.

**VII. Ante:** Praepositione *ante* de loco dicta significatur id, quod *ex adverso* et *a fronte* positum est. Opponitur id quod *post* et *a tergo* positum et quod *circum* est. Cf. Hand. Turs I p. 362.

Ac primum quidem poeta utitur hac praepositione in formula nota: *ante pedes;* LXIV, 67 et v. 318 ejusdem carminis.

2. De motu et cursu: LXVI, 67 tardum dux ante Booten. Cf. Kuhner L. G. p. 388, ex cuius explicatione praepositionis, si plane vera esset, poeta melius dixisset: *pro tardo* Bo., nisi putare velles sidera illa retrogradi.

3. De re aliis praeferenda in formula: longe ante omnes LXVIII$^{b}$, 119. Eandem notionem invenies in verbo composito „antistare“ cf. IX, 2 antistans mihi e omnibus.

4. *Ante* saepissime est adverbium de tempore usurpatum ut significet: antea, olim: XI, 21. XXIX, 4. XLV, 8 et 17. LXII, 28. LXIIII, 383. LXVI, 51.

XXIX, 4 pro *ante* codd. tradunt *cum te* (*cū te*). Heysius, Schwabius, Ellisius, Faerni conjecturam probantes scripserunt: *habebat uncti,* Lachmannus, Hauptius, Rossbachius, Baehrens ex Statii emendatione in textum receperunt *ante.* Illi rati sunt librarios falso *cuncti* pro *uncti* scripsisse, atque ex hoc vocabulo per errorem *cum te* ortum esse. (Cf. v. 22 h. c. uncta p.) Longius, ut mihi videtur, haec emendatio repetita est. Nam nihil facilius est et simplicius, quam ex corrupta lectione *cū te* elicere *ante,* particulam, quam ipsa res flagitat. Egregie enim quadrat *ante* et sensus ex hac lectione

exit commodissimus: „Ille [nunc] habet quod habebat ante Gallia."

5. Accedit ad vocabulum *ante* comparativa particula *quam:* antequam, *ante* autem haud raro a *quam* interpositis nonnullis vocabulis disjungitur.

**VIII. Post:** 1. Praep. *post* locum indicans significat id, quod a tergo est: hinter.

LXV, 294 Post hunc consequitur. Quamquam in hoc versu *post* etiam pro adverbio haberi potest. Cf. Hand. Turs. IV p. 489: „*Post* in ordine rerum significat id, quod alteri rei succedit. — In enarrando rerum ordine collocantur nomina *tum-deinde-post.*" — In nostro carmine invenimus: v. 279 princeps advenit Chiron, v. 285 confestim Penios adest, v. 294 post hunc consequitur Prometheus, v. 298 inde pater divum advenit. *Post* pro *deinde* jam in Plauti comoediis invenitur.

2. *Post* de tempore dictum.

LXIIII, 278 Quorum post abitum — advenit. XCV, 1 nonam post denique messem, nonamque post hiemem. (In altera huius sententiae parte sequitur *quam.*)

3. *Post* adverbium est in enarrandis rebus pro *deinde:* LXIIII, 274 Primum procedunt — post increbrescunt. De tempore dicitur IIII, 10 iste post phasellus antea fuit. Hoc in versu „post" graeco more pro adjectivo aliquo positum esse videtur. LXIIII, 322 quod post nulla arguit aetas. XLIX, 3 post aliis erunt in annis. Cf. etiam quae supra de versu LXIV, 294 dicimus. — Praeterea apud Catullum inveniuntur adverbia: postea, posthac, postilla. De hoc postremo (LXXXIIII, 9), quod solum apud Plantum, Terentium, Ennium invenitur, vide Draeger. S. I p. 599 et Holtzium S. P. S. L. p. 215. Uterque etiamnunc *illā* pro accusativo plurali habere videtur; sed hoc vocabulum ex *post* et adverbio *illā* compositum esse notum est. De notione particulae „postilla" cf. Langen Beiträge z. Kritik und Erklärung des Plautus p. 258 cuius explicatio omnino quadrat in nostrum locum — De „posthac" vide eundem p. 259.

**IX. Adversus:** *Adversus* et adverbium et praepositio putabatur in c. LI, 3 „qui sedet adversus identidem te spectat

et audit". — Doeringius p. 163 „adversus te sedens" (gegenüber) conjungit, inepte, quum apertum sit *te* ad *spectat* referendum esse. Quam ob rem *adversus* aut adverbium est i. q. e regione aut[1]) adjectivum esse fortasse putare possis, fere ut scripsit Liv. III, 38 sedemus desides domi. Cf. Hom. Il. IX, 180 ἐναντίος ἧστο σιωπῇ. Il. V, 12. Il. VI, 251. — Adjectivum *adversus* apud Catullum legitur LXIIII, 128 adversas procurrere in undas.

**X. Contra:** *Contra* de impetu hostili dicitur LXIIII, 101 cupiens contra contendere monstrum.

Ceteris in locis *contra* adverbium est, ut semper apud Plautum et Terentium, vide Brix. ad Pl. Mil. Gl. v. 3 (gegenüber). — Potestatem ac vim conjunctionis adversativae (*at, autem*) habet *contra* in c. CXVI, 7 „Contra nos telaevitamus", nam nimis molesta enuntiatio fieret, si conjungeretur: tela tua ista contra nos: die auf mich geschleuderten Pfeile (Schmähgedichte). — Porro *contra* idem est quod *vicissim,* ut compensationem quandam indicet: LXXVI, 23 contra ut me diligat illa i. e. redamat me. Vide Brix. ad Pl. M. Gl. 101. cf. etiam Pl. Mil. Gl. 658. — Eandem notionem agnosces in c. XIII, 9 „sed contra accipies meros amores". Vicissitudinem quandam intellegere debemus in c. LXII, 6 „consurgite contra", ita enim in optimis codicibus scriptum est. Baehrensius praeter necessitatem vult: consurgere terra. Cui coniecturae, omnis orationis series repugnat. Tradita lectio omnino apta est: Consurgite contra i. e. „consurgite puellae ex vestra parta, nam juvenes iam surrexerunt". Certandi notio, quam Handius Turs. II p. 114 statuit, in his verbis mihi non inesse videtur. „Contra" defenditur contra Baehrensium a Schulzio (Hermes vol. XIII).

**XI. Circum:** De frequentissimo usu praepositionis *circa* pro *circum* apud Livium vide Kühnast. L. S. p. 361. Apud Catullum de loco dicitur LXIIII, 292 Haec circum sedes locavit: rings herum. Transitivam notionem ex compositione

---

[1]) Cf. De hac re Overholthaus: Syntaxis Catullianae capita duo. Disser. 1875 Götting. p. 11 hic quoque putat „adversus" hoc loco adjectivi vim habere.

cum hac praepositione accepit: *circumcursare*[1]) LXVIIIb 93 quam circumcursans — Cupido. — XLII, 10 *circumsistite* eam. Cf. Draeger S. I p. 378, 3.

**XII. Trans:** XI, 9 sive trans altas gradietur Alpes. Causa non est, cur cum Doeringio p. 243 per tmesin legamus: Alpes transgredietur.

Cum duplice accusativo conjungitur *transferre:* LXI, 159 transfer limen aureolos pedes. Cf. Kühnast. L. S p. 153. Draeger. S. I p. 376.

Verbum comp. legimus praeterea in c. LXVIIIb 20 per medium densi transit iter populi (quer vel mitten durch die Heerstrasse des hastenden Volkes). Attamen de hoc versu cf. Hauptii Quaest. Cat. p. 87 ss.

**XIII. Ultra:** *Ultra* adverbialiter sensu metaphorico usurpatur: LXXXVIII, 7 nihil est quo prodeat ultra. — Cic. i. Ver. V, 45, 119: Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit.

**XIIII. Ob:** Praepositio *ob* apud Catullum non invenitur. Ex verbis cum ea conjunctis ea tantum afferam, quae cum accusativo componuntur. LXIII, 62 genus quod non obierim. LXIIII, 345 obsidens Troica moenia. Cf. Draeger S. I p. 379.

**XV. Intra:** *Intra* de loco dicitur, qui finibus certis circumscriptus est: LXVI, 17 thalami quas intra limina fundunt (scil. lacrimas).

**XVI. Inter:** 1. De rebus ponitur praep. *inter* in loco aliquo versantibus, ac primum quidem ita, ut indicet rem aliquam ab utraque parte cinctam esse; VII, 5 „oraclum Jovis inter — et Batti sepulcrum jacet“, deinde de re multis rebus circumdata usurpatur: LXVIIIb, 57 non inter nota sepulcra compositum.

2. Metaphorice usurpatur praepositio cum pronomine personali conjuncta de actione mutua, de actione quae ad duos modo homines pertinet.

---

[1]) Circumcursare legimus etiam Ter. Heaut. III, 2, 1 (512) Lucret. IIII, 400, ubi tamen Lachmannus „circum cursare“ scripsit. Cum accusativo ut nostro loco conjunctum invenimus Plaut. Rud. I, 4. 4 (223): „circumcursare omnia“ (Ziegler p. 27, Dissert. Friburg 1879). — — Cic. Verr. IV 19, 41: circum patronos atque hospites cursare.

CIX, 2 amorem inter nos perpetuumque fore.

**XVII. Per:** *Per* primum dicitur de loco vel de rebus locum quem quis permeat explentibus.

IIII, 18 inde tot per impotentia freta tulisse. LXIIII, 2 Dicuntur liquidas nasse per undas. LXVI, 46 per medium classi barbara navit Athon. LXVI, 55 isque per aetherias me tollens avolat umbras. LXVIIIb, 20 per medium densi transit iter populi (quer durch mediam viam, quam celebrat et frequentat populus). CI, 1 Multas per gentes et multa per aequora vectus. — Poetae alii saepissime dicunt: mare navigare, velut Virg. Aen. I, 67.

2. De via qua ingredimur in locum aliquem dicitur: III, 11 it per iter tenebricosum illuc. Cf. Plant. Curc. I, 1, 35 ire publica via Draeger S. I p. 522.

3. Modus rerum agendarum exprimitur: L, 6 Reddens mutua per jocum atque vinum. Cf. Hand. Turs. IV p. 435. Draeger S. p. 605. *Per vinum* insolentius dictum est. Draegerus non bene comparat Pl. Mil. Gl. 651 ubi *per* vim instrumentalem (causalem) habere videtur. Callimachi recordatus *ἄνω καίρια συγκεράσι* Catullus ita scripsit. Schulze Dissert. Jenens. 1871.

Modus exprimitur hac praepositione in c. XVII, 9 per caput pedesque praecipitem ire. Male explicat Kühnerus (Gramm. Lat. II p. 404), eodem modo quo Doeringius: „quantus quantus sit a vertice usque ad talos immergatur.“ — Idem est quod Germani dicunt: Hals über Kopf ad significandum modum decidendi.

4. *Per* permissionem indicat (causae ratio huius praepositionis transfertur ad eos, qui nec efficiunt nec impediunt, sed concedunt, ut aliquid fiat): X, 34 Per quam non licet esse neglegentem (Draeger I p. 604).

In obtestationibus cum vi instrumentali (cf. Draeger I 605) LII, 3 Per consulatum peierat Vatinius LXVI, 40 Adjuro cum accusativo conjunctum est. De jurandi formulis cf. Obbarium in Philologo vol. V p. 145.

C, 6 Codex O praebet: Perfecta ē $\overset{i}{g}$ ē, cod. G: Perfecta ē exigitur ē. Pro his corruptis lectionibus reposuit Schwabius: „*per facta* exhibita est unica amicitia.“ Secuti sunt eum Heysius,

Hauptius, Muellerus, Vahlenus. Ceterorum editiones varias exhibent emendationes, quas huc afferre piget, de iis vide Schwabium et Ellisium ad hunc versum. Ut unam earum pro certa habeam, a me impetrare non possum. Commodum fortasse sensum praebet Baehrensii conjectura: „Perspecta egregie est unica amicitia“ sed nimia videtur vis facta esse antiquae lectioni. Non multum ab ea abhorret quod Kochius proposuit (Symb. philol. Bonn. p. 320) „Perspecta eximie est.“

5. *Per* de tempore non invenitur XXXXV, 4 omnes sum assidue paratos annos — amare.

6. Verba composita quae cum accusativo conjunguntur, quamquam simplicia intransitiva sunt: *perambulare* XXIX, 7 *percurrere* bis ita legitur XV, 19. LXVII, 33 *pervenio* XXXX, 5: perveniamus ora vulgi, ita cum ed. pr. Silligius, Kühner. L. G. p. 200 Draeger. S. I p. 379. — Sed tradita est praepositio *in*; itaque editores fere omnes recentiores emendationem „pervenias in ora“ in textum receperunt. — „Pervenire“ a scriptoribus cum praepositione conjungitur praeter Ovid. Met. III, 462 aures pervenire nostras.

**XVIIII. Usque.** *Usque* per se solum cum accusativo conjunctum apud Catullum non invenimus. Ut continuata directio significetur componitur *usque* cum praepositionibus *ad* et *in*. Legimus *usque ad*: XLVIII, 3. CXV, 6; *ad usque* IIII, 24 *in usque* CXVI, 4. — Saepe est adverbium cum notione: continuo, uno tenore, sine intermissione.

## II.

## Praepositiones cum ablativo conjunctae.

**I. A, Ab:** Ablativus cum praepositione *ab* conj. locum vel personam significat, unde aliquid exit, movetur, expetitur vel proficisci videtur.

XXXXVI, 10 Longe quos simul a domo profectos. LXI, 85 clarum ab Oceano diem venientem. LXIIII, 132 a „patriis avectam ab oris“; traditum est *aris* sed *oris* scribendum videtur cum Italis. IV, 24 cum veniret a mari

novissimo hunc ad usque lacum (cf. annotationes Ellisii ad hunc versum). LXI, 58 dedis a gremio in manus. [Addito loci nomine quo quid pervenit]. LII, 8 sese a gremio movebat. LXVIII, 4 a mortis limine restituam.

L, 20 poenas Nemesis reposcat a te. LXIIII, 190 a divis exposcam multam. LXVI, 86 ab indignis praemia nulla peto. LXVIII, 14 a misero dona beata petas. De verbo *poscere* cf. c. XXXXI, 2 milia me decem poposcit.

2. Loci significatio transfertur ad tempus, dicitur *ab* de aetatis hominum temporibus:

LXVI, 26 cognoram a parva virgine. Cf. Hand. Turs. I p. 22.

3. De origine dicitur: LXI, 219 et 220. Talis illius a bona Matre laus genus approbet Qualis unica ab optima Matre manet. — LXIIII, 198 nascuntur pectore ab imo. LXVIIIb, 118 a quo sunt primo omnia nata bona. — de patria: LXXXI, 3 moribunda a sede Pisauri hospes (ortum hominis indicans). Cf. Kühnast L. S. p. 359. — Pl. Merc. 940 (hospitem Zacyntho) praepositio omittitur; cf. Draeger S. I p. 497.

Participium natus [1]) cum simpl. ablat. construitur XXXVI, 11: caeruleo creata ponto. LXIIII, 1 „prognatus vertice", in hoc versu melius *in* supplendum erit, item in versu 60, 1 procreavit et LXIIII, 281 creat.

4. Originem vel causam quandam, per quam aliquid factum est, indicat: LXIIII, 275 procul a luce refulgent undae; i. e. repercussum solis splendorem reddunt: Weithin leuchten die Wogen vom (durch) Sonnenlicht. Cf. Hand. Turs. I p. 12. — Fortasse huc pertinet LXVI, 63: „uvidulam a fluctu", Uindulum O, Uiridulum G, uvidulam bene correxit B. Guarinus. Hanc scripturam nonnulli eo defenderunt, quod animae defunctorum ad campos Elysios penetrantes oceanum transire creditae sint; sed ad comas ad templa deorum cedentes, id non pertinet. Hermannus (anal. philoll. vol. XXX, p. 247) recte illud „*a fluctu*" reiciens probavit, quod Itali scripserunt: *a fletu*; Baehrensius eodem sensu, sed magis accedens

---

[1]) Cf. Draeger S. I, p. 518.

ad traditam scripturam *a luctu*; non male, nam coma invita, lacrimis ubertim profusis de vertice Beronices cessit, etsi Silligius adnotat „quasi coma fleret“ (Poeta comae personae munus tribuit). cf. v. 39. 40. 76 ejusdem carminis.

5. Ablativus causae efficientis vel auctoris cum praep. *ab* conjunctus passivis verborum formis, praeterea intransitis verbis additus invenitur. Ex hoc quoque usu motus notio elucet. XXIIII, 6 ab illo amari LIX, 5 ab semiraso tunderetur ustore LXI, 216 noscitetur ab omnibus (Cf. Haupt Q. C. p. 26 ss.) LXII, 30 quid datur a divis LXVII, 11 peccatum a me LXXVI, 8 haec a te dicta facta sunt. LXXXII a me Lesbia amata mea's. Referri huc possunt locutiones ubi nos dicimus von Seiten: XCVI, 2 accidere a nostro dolore CII, 1 commissum fido ab amico cui LXXI, 4 mirifice est a te nactus (malum). — ita enim codices tradunt. Varie hic versus in variis editionibus legitur et varia adhibita medela, ut fit, corruptus magis quam sanatus est. Pro *a te* scripserunt: *tactu*, alius *astu*, alius *ac tu*, alius *adeo*, alius *aestu*, alius *mirifico est fato*, alius *mirifice est fato*, alius *Ate* (Haupt. Quaest. Cat. p. 94: recte hoc reiecit G. Hermann in annall. philoll. vol. XXII p. 313), alius *Atei*, alius *Attei*, alius denique *mirifica est poena nactus* mavult. Sed omnes hae conjecturae inutiles esse mihi videntur: cf. Ellisii adnotationes.

6. De remotione et distantia cum verbis absentiae, separationis, prohibitionis *ab* praep. conjungitur. LXIII, 92 procul a mea tuus sit furor domo i. e. procul a me. XXIII, 16 a te sudor abest LXVI, 32 a caro corpore abesse volunt v. 76 h. c.: afore me a dominae vertice. XXV, 9 tuis ab unguibus reglutina. LXI, 100 a tuis teneris volet secubare papillis v. 134 h. c.: diceris male te a tuis glabris abstinere LXIII, 58 a mea remota domo LXIIII, 116 a primo degressus carmine v. 189 h. c. a fesso secedent corpore sensus v. 350 h. c. solvent a vertice crines. LXV, 2 cura sevocat a doctis virginibus LXVIIIb, 84 suscitat a cano volturium capite — XCI, 4 a turpi mentem inhibere probro.

7. Remotionis notionem haec praepositio exprimit in ordine designando (Cf. Hand. Turs. p. 43 No. III, 1).

XXXVII, 2 a pilleatis nona fratribus pila.

8. Similem notionem invenimus in verbis defendendi et metuendi cum ablativo et praep. *ab* conjunctis.

XV, 6 conserves a populo XV, 9 metuo a te tuoque pene. Vide Kühner L. G. p. 359 qui explicat: von Seiten.

9. Praepositio *ab* de re quam alia res proxime excipit, aut quam finitam et determinatam aliud quid incipiens proximo tempore sequitur, ita usurpatur, ut explicari fere possit per vocabulum *post*. Ita Handius in Tursell. I 45. — Kühnast L. S. p. 359.

XXXXV, 19: nunc ab auspicio bono profecti.

10. Saepissime praepositio omittitur, ubi nos quidem eam exspectamus (Vide Kühnast. p. 165, p. 166 annotationes, Draegerum: H. S. I p. 500).

Verba, ubi ipso in verbo inest praepositio, omittunt *ab*: LXIII, 59 abero patria, bonis LXVII, 38 domini limine abesse licet XXII, 21 complexu avellere matris LXIII, 74 huic roseis labellis sonitus abiit. — Incertum esse potest utrum dativus an ablativus sit in c. LXIIII, 405 „nobis avertere mentem deorum“, porro in v. 5 h. c. „Colchis avertere pellem“. Certe dativus (dat. commodi et incommodi) locum habet in c. LXVIII, 20 „mihi studium mors abstulit“ in c. LXVIIIb, 53 „frater adempte mihi, — passim“.

In c. LXII, 32 e nobis abstulit unam, praep. *e* pendet ex vocabulo unam, in c. LXVIIIb, 53 „e lumine adempte“, Baehrensius contra traditam lectionem praepositionem *e* intulit; cf. Rossberg, anall. philoll. 1877 (vol. 115) p. 178.

11. Porro dativus pro praepositione *a* passivis additus invenitur, ut: XXXV, 18 „Magna Caecilio inchoata mater“, saepius ita imprimis apud gerundiva nonnulla, velut XXXX, 22. LXI, 46. Sed longum est hic omnia enumerare verba et formas verborum, quibus dativus pro praepositione *ab* additur. Ex Catullo collegit exempla huius generis Overholthaus p. 27, 4. Praeterea cf. Reisig A 581. Jordan Cic. pro Caec. 12, 33. Schneider annall. philoll. 1845. Draeger I, 394. Haase Vorless. II p. 150—152. Holtze I, 312. Kühnast p. 139.

**II. De:** *De* indicat separationem rerum, quae antea conjunctae fuerunt. Ac primum quidem de loco dicitur, unde

aliquid movetur. Saepe notio descensus ex loco superiore inest.

XVII, 8 de tuo volo ponte ire praecipitem XVII, 23 de tuo ponte mittere pronum. LIX, 3 rapere de rogo coenam LXVI, 39 tuo de vertice cessi. LXVIIIb, 9 de prona praeceps est valle volutus. — LXIIII, 397 cupida de mente fugarunt scil. justitiam LXVIII, 25 tota de mente fugavi haec studia. Cf. etiam frg. 4 de meo ligurrire.

2. Partitivam notionem habemus, si quid ex copia disjungitur. XXXVII, 17 une de Capillatis, cf. *unus e* infra.

3. *De* indicat quidem proficisci aliquid ab aliquo loco et inde quasi parari et effici, sed nos ita solemus cogitare, ut aliquid in ea re fieri dicamus (an der Sache) Holtze S. p. 56. LXXIII, 1 Desine de quoquam bene velle mereri.

4. *De* cum ablativo conjungitur nominis, quo significatur quasi materia sentiendi vel indicandi.

LXVII, 35 Sed de Postumio et Corneli narrat amore. XCII, 2 nec tacet unquam de me.

5. Causam alicuius actionis haec praep. declarat.

LXVI, 14 rixa — quam de virgineis gesserat exuviis. LXIII, 44 „Ita de quiete molli rapida sine rabie" i. e. propter vel per somnum dulcem rabie mentis soluta est Attis. De hoc loco cf. Draeger S. I p. 630 Nr. 7, d. Quid Hupius (de genere dicendi C. Val. Catulli 1871 p. 37) de eo dicere velit, non satis clarum est. Si de tempore adhibita est praepositio, quod statui potest, certe *de quiete* idem est quod: gleich nach dem Schlummer[1]), ut dicitur *de prandio* Pl. Most. III, 2, 8. Pl. Trin. v. 215 Brix. Cf. Hand. Turs. II p. 207 et ea quae nunc sequuntur:

6. De tempore dicitur haec praepositio:

XLVII, 6 convivia lauta sumptose de die facitis. De hoc temporali usu praepositionis vide Hand. Turs. II, 204 et Holtzium Synt. p. 100 qui Wuellneri, Kampmanni, Schaefferi commentationes laudat. Multa iam de hac locutione dicta sunt a viris doctis. Quid explicatio Kuehneri (Lat. Gram.

---

[1]) „In quiete" molli abit furor rabidus (cf. v. 38) ergo „de quiete" molli sine rabie est Attis.

II, I p. 363) [et Draegeri (Synt. I p. 629)] sibi velit, non satis percipi potest: *de die* vertere nunquam licet: „mitten am Tage". Optimam sententiam Gesnerus in Thes. T. II p. 12 protulit: „de cum nominibus temporis significat, illud tempus nondum plane effluxisse". Handius eum sequitur. Illi igitur Catulli inimici iam cenare inceperunt, priusquam nox pervenit. Schon am Tage, vom Tage her.

7. *De* cum ablativo conj. qualitatem significat.

LXVIII, 28 Quisquis de meliore nota (Jeder besser situirte). Videtur hic usus de significatione vini derivatus esse cf. Hor. Od. II, 3, 6. Sat. I, 10, 24 eine bessere Marke Wein.

In eodice D. (apud Lachm.) legimus in c. CI, 7: prisco de more parentum. Sed recte editores plerique auctoritatem ceterorum codicum (priscoq; O G) secuti scripserunt: prisco quae more parentum; parum feliciter Westphalius recepit *de* et conjecit: Nec tamen interea hoc prisco de more. Verba cum hac praepositione composita cum alia constructa sunt: delabi e corpore LXIIII, 66. — declinavit ex illo lumina v. 92 h. c. — degressus a carmine v. 116 h. c. — devolvere LIX, 4. — Transitiva facta sunt ex compositione: *decurrere* LXIIII, 6 — *declinare* v. 92 h. c. — *despuere* L. 19. — de verbo „declinare" cf. Lucret II, 259.

**III. Ex:** 1. Praepositio *ex* „indicat exitum, et dicitur de omni re, quae in aliquo loco inerat et inde exit" (verba sunt Handii, Tursell. II, 615). — Ac primum quidem conjunguntur cum hac praepositione verba cum ea composita:

LXIIII, 14 emersere candenti e gurgite (Baehrensius delevit *e*, quod codices exhibent) de *mergere* LXVI, 68 vide infra. — LXIIII, 18 nutricum tenus extantes e gurgite cano. v. 74 e. c. egressus curvis e litoribus v. 114 labyrintheis e flexibus egredientem. LXV, 8 ereptum nostris obterit ex oculis LXXVI, 22 expulit ex omni pectore laetitias.

2. *Ex* cum aliis verbis conjunctum de remotione quadam et decessu rei, quae intra rem aliquam fuit, dicitur.

LIX, 4 devolutum ex igne prosequens panem LXIIII, 66 toto delapsa e corpore — v. 91 e. c. ex illo declinavit lumina — X, 2 me duxerat e foro otiosum (ad hunc versum cf.

Hand. II, 628 (Nr. 26) LXIV, 251 parte ex alia volitabat. v. 278 e. c. e vertice Pelei advenit — v. 391 tota ex urbe ruentes. LXV, 20 procurrit casto virginis e gremio LXVIII, 18 rivus muscoso prosilit e lapide. — Cf. etiam LXIIII, 125 imo fudisse ex pectore voces: aus tiefster Brust. Sed v. 202 sine praepositione legimus: maesto profudit pectore voces v. 196 querellas — extremis proferre medullis. — LXIIII, 198 „querelae — nascuntur pectore ab imo", LXIIII, 382 Baehrensius scribit: „cecinere e pectore", reliqui editores: „cecinerunt pectore". Codex G praebet *cecinere pectore, Ocernere pectore,* deteriores *cecinerunt p.* Baehrensius satis probabiliter coniecit in archetypo scriptum fuisse: „cecinere pectore", cum antecedente vocabulo *cecinere* praepositio *e* a poeta scripta facillime omitti potuerit. Ut demonstret poetas „canere ex" dixisse affert Virgilii locum Aen. III, 373 — „canit divino ex ore sacerdos". Ceterum etiam solum ablativum (cecinerunt pectore) aptum esse vix est quod commemorem.

3. Saepe id, e quo aliquid quodam modo promovetur, conditio est, qua missa aut relicta transitus fit in aliam conditionem. Handius in Turs. II p. 616 Nr. 2.

LXXX, 4 quiete e molli suscitat, ad hunc locum cf. LXIV, 57 excita somno.

4. De rebus dejectis vel dependentibus dicitur:

LXIIII, 244 sese scopulorum e vertice jecit. v. 297 e. c. pendens e verticibus praeruptis.

Per metaphoram *ex* dicitur (cf. Hand. Turs II p. 620): LXIIII, 69 toto ex te pectore pendebat, Theseu.

5. Cum verbis auferendi praep. *ex* coniungitur, ut significetur, unde petita res sit: LXVIIIb, 106 ipsius ex ipso dempta viri gremio. — De c. LXVIIIb, 53 vide supra de praep. ab Nr. 8, item de LXII, 32.

6. *Ex* coniunctum cum verbis cognoscendi (Hand. T. II, 621): L, 17 poema ex quo perspiceres meum dolorem.

7. Germani dicunt: von wo aus, Latini *ex,* si quis in aliqua sede collocatus, dum agit aliquid, ad alium locum se vertit: LXI, 210 matris e gremio porrigens manus. — LXIIII, 60 quem procul ex alga prospicit — v. 241 e. c. summa prospectum ex arce petebat. — *Prospicere* apud alios scriptores

saepe secum habet praepos. *de,* apud Verg. Aen. III, 648 *ab,* nostro loco *ex,* c. LXIIII, 52 „fluentisono prospectans litore" legimus.

8. Ablativus cum praepositione *ex* idem significat, quod genetivus partitivus:

IX, 1 omnibus e meis amicis antistans. LIII, 1 nescio quem ec corona LXII, 31 e nobis abstulit unam LXVIII, 36 una ex multis capsula me sequitur. [Cf. D, 5 unus Italorum XXXVIII, 17 une de[1]) capillatis.] CXI, 2 laus e laudibus eximiis. Pro genetivo *ex* ponitur etiam in c. LXIIII, 257: pars e divolso jactabant membra juvenco. De poetae more quo ad substantiva verbo omisso substantivum cum praepositione addit vide Overholthaus. p. 32, 3.

9. LXXVI, 6 manent — ex hoc ingrato gaudia amore tibi. Ut in locutione „superesse ex", ita etiam hic notionem sumendi, auferendi invenimus.

10. Separatim commemoro illam formulam *ex parte,* quae initio fortasse de loco dicta modum quendam significare videtur.

XVII, 18 se sublevat ex sua parte — LXII, 62 virginitas ex parte parentum est. — LXXXVII, 4 „quanta ex parte reperta mea", fere idem est atque „quod ad me attinet".

11. Modus exprimitur si *ex* ita usurpatur, ut indicet rem aliquam alicui esse consentaneam. Notionem eandem habet ac „secundum", gemäss.

XVII, 5 ex tua pons libidine fiat.

12. „*Ex* cum animi nomine similibusque iunctum indicat proficisci aliquid ex intimis ejus rei partibus summamque habere vim" (Holtze I p. 53). CIX, 4 sincere et ex animo dicat. Cf. Ellisii adnotat.

13. *Ex* originem vel causam indicat, qua quid efficitur et procreatur: LXIII, 36 lassulae e nimio labore (*fessus, defessus* cum solo ablativo conjunguntur a Catullo). LXVI, 8 e Beroniceo vertice caesariem[2]). XCIX, 9 contractum ex

---

[1]) De voce „unus" conjuncta cum „ex, de etc." disputat Kühnast p. 79.

[2]) Cave conjungas: fulgentem e vertice.

ore maneret. — XC, 1 nascatur e Gelli nefando conjugio v. 3 e. c. ex matre et gnato gignatur oportet. CXI, 4 ex patruo fratres suscripere[1]). De „nasci a“ vide praep. *ab* Nr. 3.

14. Originis notioni similis est notio transmutationis: XCIX, 13 ex ambrosia mutatum.

15. *Ex* dicitur de patria i. e. de origine, unde quid ortum est: XII, 14 sudaria ex Hibere miserunt mihi. [Nihil ad rem, utrum *ex Ibere* an *ex Hiberis* legas, *ex Ibere* i. e. e terra quam Iber undat, optimorum codicum auctoritas tuetur.] Nam *ex Ibere* sine ullo dubio ad *sudaria* pertinet non ad *miserunt*.

16. XVI, 3 ex versiculis meis putastis parum pudicum. — Hoc in versu aut *ex* idem est, quod *propter* et causam indicat, aut pro *secundum* usurpatur: in Hinsicht auf, gemäss, illud verti potest: in Folge von.

17. *Ex* de tempore dictum spatium actionis exprimit. Est igitur idem quod: seit.

IV, 15 ultima ex origine stetisse in cacumine. XXXV, 14 quo tempore ex eo edunt medullam. LXIIII, 73 ferox quo ex tempore. LXVI, 60 ex Areadneis temporibus. — Praep. *ex* cum temporali illa notione iam apud Plautum invenitur (Pers 479); tum apud omnes scriptores ex illo tempore usque ad Horatium saepe legitur. Attamen confer, quod Hupius p. 37 dicit: saepius atque melius dici puto: „ultima ab origine“. — Lucretius ter scripsit „ab origine“ nusquam „ex origine“. In Catulli carminibus autem quater legimus *ex*, semel modo *ab* cum notione: seit. Praecipue ergo praepositionem „ex“ ad talem notionem significandam Catullus amasse videtur.

18. Editores nonnulli Martyni Lagunae scripturam praebent in c. LXIIII, 363: „ex celso“, ceteri editores: „excelso“. Equidem malim: „teres bustum excelso aggere coacervatum“. *Ex* praep. illa, si disjungimus eam a *celso*, materiam busti indicat.

---

[1]) De mutata huius verbi significatione apud Plautum et Terentium cf. Langen Beiträge p. 313. Catullus sequitur usum Plautinum qui „suscipere ex“ de matre dixit, Terentius „suscipere“ de patre intelligit.

19. Saepissime simplex ablativus significatione ablativi cum praep. *ex* coniuncti ponitur, cum apud verba composita tum apud simplicia. Ex eorum numero afferam: expello excio, exspuo, expromo, effluo, excido, exprimo, ejicio, proferro, profundo, — dimitto. LXVII, 26 „sterili semine natus". De aliis iam supra est dictum ad praep. *ab* Nr. 3. Huc pertinet XXXVII, 11 „quae meo sinu fugit" ubi *ex* vel *de* supplere licet. Cf. Draeger. S. I § 219. Kühnast, L. S. p. 165.

20. Vim transitivam accepit: *exspuere.*

**IIII. Prae:** 1. *Prae* locativam habet significationem LXIIII, 34 Dona ferunt prae se i. e. cum ostentatione ferre. [Male Doeringius *prae se* conjungit cum posteriore: *declarant gaudia vultu prae se* i. e. pandunt gaudia.]

2. Significatio loci translata videtur ad significationem praestantiae. „Altera rerum inter se comparatarum ante alteram collocata fingitur": LXXII, prae me velle tenere Jovem.

3. Cum accusativo conjungitur: *praevertere* LXIIII, 341. De varia notione verbi „praevertere" in Plauti comoediis vide Langen Beiträge p. 78.

**V. Pro:** 1. Praepositio *pro* de loco dicta non exstat. Ex locativa notione explicandum est, quod *pro* de defensione alicuius dicitur unde derivata est significatio commodi et utilitatis. LXVI, 34 pro dulci conjuge pollicita es.

2. „Pro aliqua re" i. e. „loco alicuius rei": LXIIII, 81 suum pro caris corpus Athenis projicere. Huc etiam pertineret si cum Westphalio et Baehrensio legeremus in c. LVI, 7 *pro telo.* Editores reliqui habent *protelo* quod mihi quoque praeferendum videtur. — Eodem modo:

3. *pro* de remuneratione et pretio dicitur: XXXI, 11 quod unum est pro laboribus tantis. LXIIII, 152 pro qua dilaceranda feris dabor. v. 157 e. c.: talia qui reddis pro dulci praemia vita (pro cara tua tibi servata vita). LXVIII$^{b}$, 110 pro multis redditur officiis munus LXXVI, 26 reddite mi hoc pro pietate mea = als Belohnung für u. s. w. — LXVI, 37 „Quis ego pro factis caelesti reddita coetu".

4. *Pro* idem significat quod *secundum*: XXXVI, 2: Votum solvite pro mea puella i. e. *pro* vel *ex* voto meae

puellae. Non tamen negaverim posse etiam intellegi: commodo meae puellae meinem Mädchen zum Nutzen.

5. Ad rem impetrandam si quid agitur, *pro* usurpari potest ita, ut finis et consilii notio insit: XXXVII, 13 pro qua mihi sunt magna bella pugnata. Bene Doeringius explicat: „de qua magnae mihi cum rivalibus excitatae sunt lites". — Handius qui hoc exemplum, ut saepe alia quoque, bis in commentariolo de praepositione „*pro*" affert, primo loco minus recte explicat hoc de commodo et utilitate.

**V. Clam:** *Clam* apud poetam nostram adverbium est. Legitur semel in c. XXI, 5 „nec clam nam simul es jocaris una" i. e. Aurelius puerum amatum Catulli coram omnibus sibi conciliare conatus est. — Apud Plautum et Terentium clam aut adverbium est aut cum accusativo conjungitur. Cf. Langen Beiträge etc. p. 229, Lorenz. ad Most. 1054. Aqud Ciceronem, Caesarem, Tacitum „clam" adverbium est.

**VI. Palam:** *Palam* idem est quod: in publico. „Palam" agit, qui in conspectu hominum agit, nec celat facta sua. Adverbium est apud Catullum et bis legitur. XXV, 8 quae palam habere soles. LXI, 196 palam cupis. — LXIII, 74 sonitus abiit palam, — restituendum est ex sententia Handii Turs. IV p. 384 *palam* i. e. ut omnes audirent. Editio princeps habet *palam*, codices in fine huius versus lacunam praebent. Quam quidem lacunam ex ingenio supplere studuerunt critici variis vocibus[1]).

**VII. Cum:** 1. Praepositio *cum* ponitur si duae personae vel res ita inter se sunt conjunctae, ut aut utraque idem faciat aut utrique idem fiat (Holtzius). XI, 16 cum suis vivat moechis. LXII, 61 ipse pater cum matre tradidit. LXIIII, 252 volitabat cum thiaso Satyrorum LXIIII, 298

---

[1]) De his conjecturis vide Baehrensium et Ellisium ad hunc versum. Proposuerunt viri docti „propalam" (Silligius, hunc defendit Boehmius Quaest. Catull. Bon. 1862: propalam citus abiit). Hermannus (annall. philol. vol. 33 p. 249), scripsit: „geminat deorum ad aures nova nuntia referens." Hic autem nimis multa mutavit. Optimum mihi videtur vocem „celer" vel „citus" addere. Ita in editionibus Lachmanni et Vahleni legimus: „abiit celer", Heysius et Muellerus receperunt „celer abiit". Falso Baehrensius Heysio conjecturam „citus" ascribit.

pater divum sancta cum conjuge natisque LXVI, 77 Quicum ego — bibi. LXXIX, 2 te cum tota gente tua malit. v. 3. vendat cum gente Catullum. CVI, 1 cum puero bello praeconem qui videt esse CXII, 1 nec tecum multus homo est.

2. Praep. *cum* pro *apud* vel *circa* posita esse videtur: XXXVIII, 4 „satisne cum isto Vappa frigoraque et famem tulistis?“ Porro huc referri possunt: CVI, 1 et CXII, 1.

3. Ad *cum*, si conjunctionem rerum significat, additur interdum: *una* vel *simul:* LXII, 65 qui genero sua jura simul cum dote dederunt. LXVIII, 23 et 24: Tecum una tota est nostra sepulta domus — tecum una perierunt. Idem iisdem verbis expressum legimus in c. LXVIII$^b$, 54 et 55 [1]).

4. De personarum conjunctione *cum* ita usurpatur ut significet *una cum his,* vel *pariter* vel *inter;* pro conj. copulativa *et* positum esse videtur: XXIII, 5 Est pulcre tibi cum tuo parente. CIIII, 4.

5. *Cum* construitur cum verbis, quae cum hac praepositione composita sunt: XLIII, 7 Tecum Lesbia comparatur LXIIII, 329 tecum conjungere somnos XCI, 7 tecum multo conjungerer usu.

6. *Cum* exprimit actionem talem, ut altera quaedam res vel persona a subjecto in societatem actionis recipiatur et ita quasi ab eo afficiatur et tangatur (Holtzius [2])). I, 1 quicum ludere I, 9 tecum ludere L, 13 ut tecum loquerer simulque ut essem LXVII, 42 loquentem cum ancillis. LXVII, 36 cum quibus illa malum fecit adulterium LXIX, 8 quicum bella puella cubet LXXVIII, 4 cum puero puella cubet LXXXVIII, 1 cum matre prurit. LXII, 59 ne pugna cum tali conjuge. Sed iam LXII, 64 legimus: noli pugnare duobus. De verbo „pugnare“ (et similibus) cum praepositione „cum“ vel cum dativo compositum disputat Haase II p. 146. Verbum pugnandi cum casu tertio constructum esse porro agnoscimus ex c. LXII, 60: Non aequum est pugnare, pater cui tradidit

---

[1]) De significatione vocabulorum „una — cum“ cf. Langen p. 243.

[2]) De hoc usu praepositionis „cum“ apud Plautum cf. Langen: Beiträge p. 241.

ipse i. e. pugnare cum illo (*illi*), cui pater te tradidit. — Exempla vide apud Draegerum H. S. I p. 406.

7. Separatim commemoro LXIIII, 53. Thesea cedentem celeri cum classe tuetur — Ariadna.

De hoc versu disputat Baehrens. in libro suo cui nomen est: „Analecta Catulliana" p. 50 „cum classe fugit, qui complures habet naves, quarum in una ipse est collocatus. at cum scriptores veteres, tum imagines Pompeianae et Herculanenses unam tantummodo Thesei puppem fuisse ostendunt. rescribas id quod etiam alliteratione commendatur: „Thesea cedentem celeri *tum* classe tuetur", nam classem pro unica navi poni sat constat.

Sane Theseus unam modo navem in Cretam duxit, id cum ex aliis Catulli versibus, tum ex LXIIII, 84 et v. 121 e. c. luce clarius apparet. Attamen in tradita scriptura non offendendum est: cf. R. Richter, Jahresber. über die Fortschr. der class. Alterthumswiss. IV (1876) 2 p. 322.

LXIIII, 212. Codices exhibent: „classi cum moenia. — Linquentem gnatum ventis cum crederet Aegeus", — quam lectionem omnes editores mutaverunt. Difficultatem nimirum huius loci peperit ingrata repetitio particulae *cum* et diversa ejus significatio. Hinc diversae conjecturae. Si conjectura opus sit malim bonam illam et elegantem Avantii: cum — gnatum ventis concrederet. Aliter emendavit Baehrensius Analecta Cat. p. 53.

8. In comparationis fomulis adjecto adverbio *pariter*: LXIIII, 301 Pelea nam tecum pariter soror aspernata est.

9. Societatis notio inest in c. XIII, 3 si tecum attuleris. Porro in c. LXII, 12 secum ut meditata requirunt, „quo designatur tacita et occulta cogitatio" cf. Hand. Turs. II p. 150.

10. *Cum* usurpatur ad modum rerum agendarum definiendum. Germani vertunt: unter, zu, bei. Exempla ex Plauti comoediis collecta vide apud Brix. ad Pl. M. Gl. 658: XL, 8 cum longa voluisti amare poena LXI, 19 bona cum bona nubet alite virgo LXI, 159 transfer omine cum bono limen pedes LXIIII, 112 pedem multa cum laude reflexit LXIIII, 329 fausto cum sidere adveniet. Huc pertinet

LXXVII, 2 magno cum pretio atque malo. — Haec quoque significatio ex comitatus notione derivata est.

11. Pro ablativo instrumenti locum habet *cum*: XCVIII, 3 ista cum lingua possis lingere. Muretus ad hunc versum annotat haec: particula *cum* tacitam quamdam significandae indignationis vim habet quae percipi facilius, quam exprimi potest. Alia exempla vide in Handii Tursellino II p. 165.

12. Ex Baehrensii conjectura legitur *cum* in c. LXXVI, 5 praeter necessitatem pro „*in* longa aetate", nam quod pro *manent* in G legitur *manenti*, in O *manentum*, ex obscura aut vitiosa codicis archetypi scriptura facile explicari potest), neque rectius idem praepositionem CXIII, 2 restituendam esse putavit: cf. Rossberg annall. philoll. 1877 sq.

13. Ex compositione transitivam vim accepit: *conscendere* LXIIII, 216.

**VIII. Simul:** *Simul* apud Catullum nunquam praepositio est sed adverbium respondens quodammodo significationi praepositionis *cum*. Exprimit artissimam conjunctionem rerum XXI, 5 simul es jocaris una. L, 13 simulque ut essem LXIIII, 78 Electos juvenes simul et decus innuptarum LXVIII$^b$, 115 sitis felices et tu simul et tua vita. Saepius ita usurpatur a Catullo. — Semel cum praepositione *cum* conjungitur: LXII, 65 simul cum dote dederunt. — Saepissime est conjunctio temporis quae indicat, duas actiones uno eodemque tempore vel initium cepisse vel actas vel perfectas esse.

**IX. Sine:** Contrarium est praepos. *cum*. Undecies praepositionis loco, semel fortasse (LXI, 151) adverbii loco ponitur. Codices G et O tradunt in hoc versu: „sine fine servit", quae lectio metri leges offendit. Optima mihi videtur emendatio quae ab ingenio Auantii profecta est: *sine fine erit*. De locutionibus „sine fine erit", „sine gratia est" etc. cf. Langen Beiträge z. Plautus p. 133 et Nagelsbach, Stilist. § 144, 1 et 6.

Pro *cum* poeta adhibet *non sine*: XIII, 4 non sine candida puella et vino et sale et omnibus cachinnis. LXIIII, 290: non sine nutanti platano lentaque sorore — et cupressu. LXVI, 34 non sine taurino sanguine pollicita es.

Vis conditionalis inesse videtur: LXI, 61 nil potest sine te Venus i. e. nisi tu adjuvas. LXI, 66 nulla quit sine te domus.

Concessiva potestate LXIII, 44 „rabida sine rabie“: rabida quamquam rabies non in ea erat. — LXIII, 36 Praeterea legitur: LXI, 206 nomen sine liberis LXIII, 6 membra sine viro (evirata est Attis) LXIII, 46 sine quis ubique foret. XCVII, 5 nam sine dentibus est.

**X. Tenus:** Praepositio tenus a Plauto (Men. V, 2, 106 osse tenus) cum ablativo conjuncta apud Catullum, ut apud alios scriptores interdum cum genetivo nominis construitur, cui postponitur. Unum modo extat exemplum. LXIIII, 18 nutricum tenus exstantes. Exempla contulit: Fr. Neue II² p. 785. Cf. Draeger I p. 603 et Kühnast p. 85 de vario huius praepositionis usu.

# III.

## Praepositiones cum utroque casu conjunctae.

**I. In c. abl. c.:** Latissime patet, ut apud omnes scriptores, ita apud Catullum huius praepositionis usus: centum et duodecim loci exhibent ablativum. Praepositio *in* ex primitiva sua significatione significat, aliquid intra certos fines inclusum esse ita, ut oppositum sit id, quod extra fines vagatur.

1. De loco, ut idem sit quod *intra* ponitur *in*: XLV, 16 ignis ardet in medullis LXI, 87 Talis in vario solet hortulo stare flos. LXIIII, 176 in nostris requiesset sedibus hospes. LXVIIIb, 116 domus in qua nos lusimus. Huc pertinet: XLV, 6 In Libya Indiaque tosta veniam obvius.

Sed ea tantum enumerare mihi in animo est huius significationis exempla, quae a nostro usu dicendi aliquo modo abhorrent aut a criticis varie tentata sunt.

Metaphorice *in* ad locum significandum adhibitum est: LV, 18 si linguam clauso tenes in ore LXIIII, 54 indomitos in corde gerens furores.

Praep. *in* pro *apud, ad, circa* posita esse videtur, ubi nos dicimus auf, an, bei, sed Latini: in.

I, 1 in sinu tenere IIII, 11 Cytorio in jugo sibilum edidit. IIII, 16 stetisse dicit in cacumine. — Ita saepissime apud Catullum.

LXVI, 7 Plerique editores hunc versum ita scripserunt: „Idem me ille Conon coelesti in lumine vidit — Clare fulgentem“, quod, ut illi putant, hoc modo magis expressus est versus Callimachi: μ' ἔβλεψεν ἐν ἤερι. Vix recte. Nam „ἐν ἤερι“ non idem est quod „in lumine“, in lumine autem stellam quandam clare fulgentem videre omnino non possumus. Quamobrem retinenda est codicum lectio: „caelesti numine“ in qua nihil difficultatis inesse video. Si quid mutandum sit malim: coelesti in limine. „Limine“ scripsit iam Heinsius, „in limine“ proposuit etiam Froehlichius (Münch. Acad. V, 259). Commendat hanc vocem fortasse versus quem laudat Riesius (lat. anth. c. 916, 8) „E Beronico detrusum vertice crinem Retulit esuriens Graecus in astra Conon“. Limen autem est „coeli regio“ „stellarum domus“ ut ita dicam, et hac cum notione saepius invenitur.

LXVII, 32 „suppositum specula“ praebent codices. Facile locus restitui potest scribendo „supposita in specula“ ut bene jam Zanchius vidit. Utraque autem praepositio *sub* et *in* hic suam vim habere videtur: „sub radicibus montis“ am Fusse des Berges, „in monte“ auf dem Berggipfel, supposita in specula est id quod nos dicimus: auf halber Höhe des Berges gelegen, am Berge.

2. Notio localis ad res non sensibus percipiendas transfertur, sed conditionis cuiusdam significatio inest. XXXIIII, 1 Dianae sumus in fide i. e. in clientela et patrocinio LV, 14 Tanto te in fastu negas (sic enim codices optimi hunc versum exhibent). Exempla quae in hunc locum quadrant Drakenborch. ad Liv. I, 52, 2 T. I p. 387 praecipue ad Liv. I, 56, 7 collegit, ubi dicit: „Usitatius sine praepositione dicitur“. Fortasse huc pertinet XXXI, 6 videre te in tuto.

3. *In c. abl.* pro simplici ablativo instrumentali vel causali positum esse videtur: XV, 8 in re sua occupati LXIIII, 313 prono in pollice torquens XC, 6 omentum in flamma

liquefaciens XCVII, 7 defessus in aestu durch Liebesbrunst erschlafft. (Codices G et O exhibent: in estum.)

4. XXII, 17: „tam gaudet in se“. Tacitum et occultum gaudium poeta his verbis designat. Legimus Cic. Tusc. III, 21, 51 in sinu gaudeant. Tibull. IV, 13, 8 Qui sapit in tacito gaudeat ille sinu. Cf. Propert. II, 25, 30. Cf. porro: secum cogitare.

5. *In c. abl.* assumunt verba ponendi et iis similia, ubi *in c. acc.* exspectamus.

III, 17 tuo imbuisse palmulas in aequore (de verbo „imbuere“ cf. apud Catullum: rudem imbuit Amphitriten, scelere est imbuta nefando, — incurvans gurgite remos) X, 23 in collo sibi collocare posset. LXIII, 55 quibus locis positam LXIIII, 48 locatur sedibus in mediis. LXVI, 56 casto collocat in gremio. LXVI, 64 sidus in antiquis — novum posuit LXVIIIb, 31 trito fulgentem in limine plantam innixa constituit. LXVI, 59 in limine caeli foret fixa. Codices habent: in numine, Guarinus conjecit in limite, non male; lectio, „in limine“ quae rei maxime consentanea videtur ingenio Froehlichii debetur. IC, 4 suffixum in summa cruce. — Porro huc pertinent: XVII, 4 cavaque in palude recumbat, nisi vertere praefers: er möge im Sumpfe versinken. LXIIII, 72 serens in pectore curas. LXI, 97 in mala deditus vir adultera. (Hoc cohaeret cum locutione: amare in aliqua, de qua vide infra.) Apud Lucretium legimus: in pugnae studio quod dedita mens est III, 647. — LXX, 4 „in vento et rapida scribere oportet aqua“, LXIV, 174 „in Creta religasset“. Haec enim codicis O scriptura praeferenda videtur ei quam G praebet „in Cretam“. Cf. Ellisii edit. et comment.

6. Pro praepositione *inter* dicitur *in* de copia, X, 6 in quibus quid esset. LXXXI, 1 in tanto populo esse.

7. De situ, conditione, occasione usurpatur: XII, 2 in joco atque vino. LX, 4 vocem in novissimo casu comtemptam habere LXIIII, 393 in letifero belli certamine — est hortatus LXV, 15 in tantis maeroribus — mitto (trotz) LXVIIIb, 21 crasso in sudore levamen LXVIIIb, 23 in nigro jactatis turbine nautis LXVI, 3 foedere in ullo numine abu-

sum esse[1]) LXXXVII, 4 quanta in amore tuo reperta est. XCI, 2 fidum in misero hoc nostro amore fore.

8. LXVIIIb, 94 fulgebat crocina candidus in tunica Liv. XLV, 20, 5 in veste candida, plerumque Livius de vestimento praepositionem *cum* usurpat. Kühnast. L. S. p. 361.

9. *In c. abl.* scriptum esse videtur pro formula „quod attinet ad“: XXII, 19 quem non in aliqua re videre Suffenum possis: Keinen wirst Du finden, der nicht in gewissen Beziehungen (in irgend was) dem Suffenus gleicht.

10. Amorum poetae peculiari modo amoris officinam et negotium transferunt in ejus personam, quem quis amat. In eo enim amator quasi habitat, in eo omnia agit. Ita Handius in Turs. III p. 268. De constructione „facere aliquid in aliquo“ bene disputat Draegerus in H. S. I p. 649, 6. Cf. Hand. Turs. III p. 267, 31 p. 268, 32 et 33. Uterque varia exempla affert.

LXIIII, 98 „in flavo saepe hospite suspirantem“, suspirare de amantibus passim obvium et apud Romanos et apud nostros poetas, idem est quod „amare in aliquo“ i. e. amare aliquem. LXIIII, 119 quae misera in gnata deperdita laetabatur. Codices O G in fine huius versus habent: *leta,* unde admodum probabilis, quam recepimus, ab ingenio Lachmanni profecta est scriptura. — XLV, 23 in uno S. facit delicias. — LXVIII, 99 in culpa flagrare.

11. Adjectiva quae qualitatem designant, assumunt per praepositionem *in* nomen, quod significat, in qua re appareat illa qualitas, aut ad quam rem ea spectet.: Handius Turs. III p. 276.

C, 8 sis in amore potens.

12. *In c. abl.* dicitur ut indicetur aliquid in re aliqua apparere vel contineri: XCI, 9 gaudium in omni culpa est, in quacunque est aliquid sceleris: bei jeder Schuld vel: ist in jedem Vergehen enthalten.

13. *In* de tempore usurpatur, ubi nos dicimus „in“ aut „innerhalb“:

XXI, 3 Erunt aliis in annis XXIIII, 3 posthac aliis

---

[1]) De supervacanea conjectura Doeringii (cf. Froehlichius l. l. et Reeckius (Dissert. 1872 Vrat.) „in foedere“ vide Overholthaus. p. 34.

erunt in annis IL, 3 post aliis erunt in annis LXIIII, 151 supremo in tempore dessem LXVIIIb, 43 noctibus in longis — saturasset amorem. LXVI, 35 in tempore longo captam. — XXIII, 20 nec toto decies cacas in anno. Hic usus loquendi „in annis“ iam apud Plautum et Terentium invenitur. Drahenborch. ad Liv. I c. 57 p. 413 dicit: Optimi oratores non raro praepositionem *in* adhibere solent ubi plerumque in vulgari sermone omittitur. — Cf. Kühnast. L. S. p. 180 sq. Draeger. H. S. I. p. 528. Hand. Turs. III p. 280. Kühner. Gr. L. II. I § 79, 3.[1]) — Saepissime Catullus simplici ablativo usus est.

14. Nomina quae non ipsum tempus, sed rem tempore quodam actam significant, praepositionem in c. abl. conj. assumunt. Nonnulla exempla, quae iam supra (vide Nr. 7 huius cap.) notata sunt, huc referri possunt.

LXIII, 38 abit in quiete molli — furor LXIIII, 217: reddite in extrema fine senectae. LXIIII, 349 saepe fatebuntur gnatorum in funere matres LXVIII, 24 tuus in vita dulcis alebat amor. — Idem est LXVIIIb, 56. — LXXVI, 5 manent in longa aetate. — LXXVI, 17 codices O. G. offerunt „ipsam morte tulistis opem“. — Itali haec mutaverunt in: *ipsa morte;* magis codicis scripturae accommodata est lectio editionis Aldinae „ipsa in morte“.

15. Saepissime desideramus praepositionem *in*. Longum est enumerare omnia exempla in quibus poeta praepositionem omittit, itaque satis habeo hosce locos proferre.

LXIIII, 63 flavo retinens vertice mitram, Cicero dicit contra: in capite, in collo coronam habere. LXII, 20 qui caelo fertur crudelior ignis v. 26 e. c.: qui caelo lucet iocundior ignis i. e. am Himmel. Eodem modo „terrā“ vel „mari“ per se solum usurpatur pro: in terrā, in mari. cf. Liv. XXII, 40, 2. — C. Fin. V, 4, 9: „— ut nulla pars caelo, mari, terra, ut poëtice loquar — etc.“ LXV, 24 Huic manat tristi conscius ore rubor[2]). — XLV, 8 sinistra[3]) ut ante — sternuit —

[1]) Haase Vorles. p. 196. Holtze S. p. s. l.

[2]) Vide de hoc ablativo Overholthaus p. 30 a, qui non bene eum pro ablativo separationis habendum esse censet.

[3]) Cod O exhibet: sinis't ū ān quod „sinister“ vel „sinistra ut

in his duobus exemplis praep. *ex* vel *in* supplenda erit, contra in sequentibus locis sine dubio praep. *in* est addenda: LXIIII, 1 Peliaco prognatae vertice LXI, 1 te leaena montibus Libystinis — procreavit. LXIIII, 281 et in aliis versibus. De locutionibus: lecto versari, lectulo jacere, lecto acquiescere, ponte ludere longo aliisque vide Kühner. L. G. § 79. Kühnast. L. S. p. 174. 182. Draeger. H. S. I. p. 520 sq. Holtze S. P. L. p. 74 sq.

Ov. M. VII, 547: „silvisque agrisque viisque corpora foeda jacent". Virg. Aen. VI, 575 „custodia vestibulo sedeat". De ablativo pro in c. abl. respondente ad interrogationem „ubi" disputat Overholthaus p. 32, 4. — Cf. Haase II p. 199.

**I. b. In c. accus. conj.:** Praepositio *in* accusativo praeponitur ad motum versus rem aliquam indicandum.

1. Verba eundi, proficiscendi, veniendi, mittendi hanc secum habent praepositionem. Germani dicunt hinzu, in, nach. Opus non est omnia affere exempla: XVII, 9 praecipitem ire in lutum XXIII, 5 exilium malasque in oras Itis. XLIIII, 14 in tuum sinum fugi — pro: ad te. Ita saepius.

2. Verba inferendi, tradendi, accipiendi eodem modo usurpantur proprie et metaphorice.

LXI, 56 juveni in manus floridam dedis. — XXII, 15 „in palimpsesto relata" scriptum est in codicibus. Sed accusativus restituendus est. Heinsius scripsit in palimp*sestum*, Lachmannus in palimp*seston*, Baehrensius in palimpsestos. Alii ablativum servantes mutaverunt *relata* in *relicta* (Heysius) vel in *notata* (Froehlichius), sed frustra. In Ciceronis or. pro Roscio com. § 5 librorum lectio „relata in codice" dudum correcta est in „relata in codicem". Cf. ib. § 8 et 9. XXVIII, 8 legimus „referre" praepositione nulla addita: refero datum lucello: Meine Ausgaben schreibe ich auf die Gewinnseite des Kassenbuches.

3. Verba cum praepositione *in* composita quae cum *in c. accusativo* conjunguntur.

IIII, 21 Jupiter incidisset in pedem XV, 15 in tantam

---

ante" esse potest. Cf. Schulze (Hermes XII p. 56 et Schulze Dissert. Jenensis p. 27) Schulzius praefert „sinister ut ante".

impulerit culpam. XXX, 8 me inducens in amorem LXI implicabitur in tuum complexum. LXVIII$^{b}$, 82 nomen testatas intulit in tabulas.

4. Separatim commemorentur nomina gentium et terrarum.

XI, 2 sq. Sive in extremos penetrabit Indos, — Sive in Hycranos Arabasve molles Seu Sacas sagittiferosque Parthos. LXXXIIII, 5 in Syriam missus.

5. De tempore dicitur praep. *in* distributiva ratione XXXVIII, 2 magis magis in dies et horas. — De hac formula vide Cortium ad Sallust. Cat. 5, 7.

6. Nota est formula: in perpetuum:

CI, 1 atque in perpetuum ave atque vale.

7. De animo hostili: XXXXIIII, 11 orationem in Antium petitorem legit. CXVI, 4 tela mittere in usque caput. — Ex corrupta scriptura codicum optimorum Muretus hanc lectionem a plerisque editoribus in textum receptam restituit.

8. De animo benevolo dicitur LXVII, 8 in dominum veterem deseruisse fidem.

9. De fine et causa dicta videtur praepositio: LXIIII, 242 in assiduos absumens lumina fletus.

LXIIII, 350: in cinerem canos solvent a vertice crines. Cod. G praebet: incivium, O: incivos, s punctato, super o duo scripta sunt compendia alterum pro m prius pro „er" (vel „re") Itali emendaverunt; in cinerem. Ellisius conjecit: „incurvo a vertice" parum feliciter ut mihi videtur. Num poeta nos docere debet verticem incurvum esse? Baehrensius scripsit „cum incultum cano solvent a vertice crinem" (crimen habet O. cf. Magnus in Fleckeiseni annalibus philoll. 1876 p. 407). Mihi tamen Italorum emendatio facilior esse videtur. Satis notum est Graecos omnes, „matribus" non exceptis, crinem omnino non incultum habuisse. Ob maerorem autem incultus esse non potuit, quia hoc ipso tempore de filii caede audiverunt. — Neque prolepsin apte statui posse existimo. — Sine dubio iam in codice V vocabulum legentibus difficultatem paravit. Is qui codicem O scripsit depinxit literas, cum vocabuli notionem animo percipere non posset. Ita scriptura illa orta est, in qua „er" et „m" adhuc

superest. Quod si emendationem illam in textum recipimus, sensui omni ex parte satisfactum esse videtur. Ceterum cf. Ciris v. 284: „incanos multo deturpat pulvere crines“, qui versus fortasse ad nostrum versum 350 formabatur.

10. Modus agendi cogitari potest in:

c. XCVIII, 1 In te si in quemquam dici pote i. e. non contra te sed: in neminem magis, quam in te cadit illud, quod. LXI, 38 in modum dicite LXI, 116 concinite in modum i. e. ad numeros et rhythmum canite: nach, gemäss.

11. Temporis ratio transfertur ad numeros. Distributionis significatio inest in c. CXIII, 3: creverunt milia in unum. Graeci dicunt: εἰς, κατὰ, nos: in, auf.

12. Praepositionem *in* cum accusativo conjunctam desideramus: LXVI, 68: alto mergitur Oceano. De hac re vide Draeger H. S. I p. 552 § 232.

13. Haec verba cum hac praepositione composita quorum simplicia intransitiva sunt, accusativum postulant: *ingredior* LXIIII, 246. — *involare* XXV, 6.

**II. Intus:** Haec vox nunquam praepositionis potestate apud poetam nostrum legitur. Semel conjectura commodissima Statii, adverbii munere fungitur: LXI, 164 aspice intus ut accubans. Emendationes: imus, unctus, udus, quas critici protulerunt aut sensui enuntiationis aut scripturae codicum parum accommodatae sunt. Traditum enim est vocabulum „unus“ quod nullo modo servari potest.

**III. a. Sub c. abl. conj.** Praepositio de loco dicitur: LXIIII, 154 te genuit sola sub rupe leaena. LXV, 13 sub densis ramorum concinit umbris LXV, 21 molli sub veste locatum LXVI, 49 sub terra quaerere venas LXIX, 6 Valle sub alarum trux habitare caper. — LXIII, 71 Ego vitam agam sub altis Phrygiae columinibus.

5. Temporalem habet significationem LXIIII, 354: Sole sub ardenti flaventia demetit arva. Vertimus: während, vel bei heftigem Sonnenbrande.

**III. b. Sub c. accus. conj.** Praepos. de loco dicitur: LI, 9 tenues sub artus flamma demanat (LXXVI, 21 poeta dicit: subrepens torpor in artus) LXVI, 5: sub Latima saxa relegans.

2. De tempore appropinquante LXIIII, 271 Aurora exoriente vagi sub lumina solis.[1]) — Cf. ad hunc locum Drakenborch. ad Liv. II, 55, 1 (Tom. I, II p. 461) qui dicit: Livium sine discrimine praepositioni *sub* nunc quartum nunc sextum casum addidisse. Cf. Kühnast. L. S. p. 366.

3. Cum accusativo conjungitur: LXI, 161 rasilemque *subi* forem.[2]) — De c. LXVII, 3. „*subrepsti* mei" conferas Lachmannum ad Lucret. IIII, 602. — Draegerus commemorat et cum dativo et cum accus. hoc verbum construi posse. Recte ille quidem, at in translata notione verbi dativus est usitatior.

**IIII. Subter:** Inter *Subter* et *sub* praepositiones eadem ratio intercedit quae inter *propter* et *prope* i. e. *subter* majorem possidet vim quam *sub*. LXV, 7 quem subter litore tellus obterit. Germani dicunt: An vel auf dem Gestade.

**V. Super:** De motu per superficiem rei alicuius: LXVIII, 1 Super alta vectus celeri rate maria. — Ennius item: volat super undas. Virg. Aen. I, 67: mare navigare.

Saepius est adverbium. Idem quod „desuper" significat LXI, 29 lympha quos super irrigat i. e. fons Aganippe frigida aqua humectat rupes. LXIIII, 286 Tempe quae cingunt super impendentes. — Verbum „impendene" saepius eadem notione apud Lucretium invenitur. Bene de his duobus locis disputat Hupe dissert. p. 38, sed id addendum est: Nec ad „irriget" nec ad „impendentes" trahi potest *super* per tmesin quum verbum „superimpendere" non exstet. De verbis cum duobus praepositionibus compositis egit Teipel (nov. annall. philoll. Supl. v. XVI, 16 1850). Hic et Forcellini „superim-

---

[1]) Vide Overholthaus p. 34, 6 de hoc versu: „sub c. accus. conjunctum, ubi ablativum exspectes, extensionem in inferiore parte alicuius rei designat. Est constructio satis rara." Sequitur ille Italos qui scripserunt: „sub limina solis. At in V scriptum erat: „sublimia solis" quod corruptum erat ex „sub lūina." Recte igitur Baehrensius quem laudat Rossbergius (annall. philoll. 1877) emendavit: „sub lumina." — Cf. Ellisium (Commentary) ex cuius sententia sub lumina aut cum „exoriente" aut cum „incitat" conjungendum est.

[2]) Verbum „subire" priscorum scriptorum aetate raro usurpatum notione metaphorica praeditum non exstat. — Cf. Lucret. VI, 1246: leti genus subire.

pendens" ex solo Catullo citant. Verbum: „superirrigare" neuter eorum affert.

Overholthaus quoque de nostro loco disputavit in dissertatione p. 16.

De fine aliquo quem transgrediuntur usurpatur adverbium: VII, 2 satis superque VII, 10 satis et super est.

Invenitur praeterea hoc vocabulum apud poetam nostrum in carm. LI, 7.

Transitivam notionem haec praepositio attribuit verbo in c. LXVI, 44: quem progenies *supervehitur* scil. montem.

Quamquam Catullus in carminibus suis fere tribus milibus variis vocabulis usus est, tamen praepositiones complures, quae ab aliis usurpantur scriptoribus, in poetae libro non inveniuntur. Penes, secundum, versus, erga, ob (haec vox non nisi in verbis compositis exstat) circa, circiter, cis, citra, extra, infra, supra, coram, absque, omnino desunt. In incerto est, an particulae „iuxta" et „inter" a poeta usurpa sint. — Adverbiorum vi praedita sunt, apud alios autem scriptores praepositionum munere funguntnr: adversus, ultra, usque, clam, palam, simul.

## IIII.

## De collocatione et iteratione praepositionum.

Non solum in usu praepositionum Catullus interdum a communi loquendi genere discedit, sed etiam in earum collocatione sibi licentiam quandam permittit, quam apud scriptores raro reperimus." Recte ita Hupius p. 38. Sed cum ille non omnia quae huc spectant exempla collegerit atque disposuerit, de collocatione et repetitione praepositionum apud Catullum dicere nobis liceat. Jam poetae, qui ante Catullum erant, aliter praepositiones collocaverunt ac scriptores solutae orationis. Catullo autem cum primus, admirabili arte et diligentia tredecim versuum Graecorum genera imitaretur, maximas difficultates superandas fuisse, quis est qui non videat? Romanorum enim lingua summa diligentia metro ita adaptari debuit, ut versus neque frigidi neque jejuni evaderent. Catullus pro ingenio suo variavit et distinxit

sermonem numero neque caruit felici numero; nam oratio carminum non modo volubilis est et expedita, sed etiam metri legibus servatis satis gravis et nervosa. Quod contingere poetae non potuit nisi liberiore verborum collocatione usus esset.[1]) Quod ad collocandas praepositiones apud Catullum attinet vix haec res sejungi potest ab universa in verbis collocandis arte, quam Ovidius inter omnes maxime strenue constituit et observavit. Noster poeta saepissime hanc rationem iniit, ut praepositio cum adjectivo in hexametro versu primum dactylum sequatur, substantivo versus concludatur (64, 16 Attamen in vestras potuisti ducere sedes LXV, 13 Qualia sub densis ramorum concinit umbris etc., ut in pentametro versu saepe adjectivum cum praepositione ante caesuram versus locum habeat, substantivum pedem ultimum interdum paenultimum obtineat. XCIX, 4 suffixum in summa me memini esse cruce XCVI, 2 accidere a nostro, Calve, dolore potest. XCI, 4 aut posse a turpi mentem inhibere probro etc.

Ut omittam disserere de praepositionibus quae semper apud omnes scriptores romanos post substantivum locum habere solent ut „tenus", nonnulla de praepositione „cum" in medium proferam. Priscorum scriptorum lat. consuetudo haec erat, ut praepositionem „cum" pronomini et relativo affigerent sed iam inde a Lucretii et Catulli temporibus in usum venit praepositionem „cum" ante pronomina collocare. Apud Catullum septies legimus „tecum" [I, 9. XIII, 3. XXXXIII, 7. LXIIII, 301. 331. LXVIII$^{a}$, 22. XCI, 7] ter, vel, si Baehrensii haud improbabilem conjecturam (LXIIII, 254) sequimur, quater invenimus „quicum" [I, 2. LXVI, 77. LXIX, 8. LXIIII, 254].[2]) Apud Lucretium „secum", „nobiscum" legimus utrumque ter [III, 233. IIII, 1282. V, 459. — I, 114. 1066. IIII, 317] aliis pronominibus „cum" praepositio affixa non est. Saepius apud eum reperimus „cum quibus" I, 818. II, 1014 etc. In „quicum", illud „qui" pro ablativo singularis et pluralis positum est. Accurate et diligenter de hoc usu

[1]) Cf. Tribukait, Dissert. Regim. 1867: observationes de conj. apud poetas lat. usu qui de conjunctionum collocatione nonnulla accusate contulit. Praeterea cf. R. Fisch Dissert. Gryph. 1875. De Catulli in vocab. colloc. arte qu. sel.

[2]) At iam semel LXVII, 36 „cum quibus" scripsit poeta.

disputavit Greefius in Philologi vol. XXXII p. 720 et vol. XXXV p. 672, qui exempla ex scriptoribus aut affert aut laudat viros qui illa collegerunt. Jam Augusti temporibus scriptores tantum modo „cum quibus“ scripserunt. Praeter illos locos supra allatos nullum invenies ubi Catullus praepositionem „cum“ relativo vel personali pronomini addidit.

Pauca hoc loco de postpositione praepositionis „inter“ dicam (cf. Rozsek Zeitschrift f. östreichische Gymnas. 1868 p. 725 ff.). Praep. „inter“ substantivum sequitur nullo addito sive adjectivo sive pronomine apud Lucretium VI, 110 eodem fere modo apud Catullum VII, 5 oraclum Jovis inter aestuosi et Batti veteris sacrum sepulcrum. In Caesaris commentariis legimus „quos inter“ (saepius) et „saxa inter“, apud Tacitum „inter“ non raro postponitur. Simili modo ut illud „inter“ postponnutur a Lucretio *sine* VI, 1210, *contra* III, 353. In omnibus illis exemplis praepositio collocata est inter duo nomina conjunctione copulativa conjuncta quae ab illa pendent.

Nominibus quibus Catullus in carminibus usus est plerumque attributionem addidit. Praepositio ex qua tale substantivum suspensum est locum habet aut inter substantivum antecedens et attributionem aut inter adjectivum et substantivum sequens (saepe praeterea aliae voces interiectae sunt) aut ante adjectivum (vel pronomen, genetivum etc.) quod plerumque nonnullis verbis interjectis a substantivo disjungitur. Raro invenimus exempla ut illa LXII, 59 cum tali conjuge vel LXIII per opaca nemora etc.

Ac primum quidem disseram de locis ubi inter substantivum antecedens et adjectivum vel pronomen praepositio locum habet. Interdum inter substantivum et praepositionem vocabulum quoddam interjectum est. Exempla Catulli haec sunt: XVII, 3 acsuleis — in redivivis XXXI, 9 larem ad nostrum LII, 2 sella in curuli LXI, 159 omine cum bono LXI, 215 inscieis — ab omnibus LXIIII, 48 sedibus in mediis (Cicero et Caesar, si „medius“ cum substantivo conjungunt nunquam praepositionem interponunt, Catullus „mediis in undis“, „in medio turbine“ etc. scripsit) LXIIII, 198 pectore ab imo LXIIII, 251 parte ex alia [Rejicienda est

opinio Peiperi qui id quod in codice V scriptum esse videtur „pater" servandum esse putat. Recte eum refellit Magnus, Fleckeiseni annall. 1876 p. 410, et Schulzius, Zeitschrift f. Gymnasialwesen 1877]. LXIIII, 354 Sole sub ardenti LXIIII, 386 templo in fulgente. LXVIII$^{b}$, 43 noctibus in longis. LXVIIII$^{b}$, 46 muros — ad Iliacos LXVIII$^{b}$, 69 Pheneum prope Cylleneum. LXXVII, 3 foedere in ullo LXXX, 4 quiete e molli XCV, 7 Paduam — ad ipsam CXI, 2 laudibus e nimiis [Ita Baehrensius. Sed in V fortasse scriptum erat: laus est laudibus eximiis. Scaliger scripsit: laus e (ex) laudibus eximiis, quam emendationem plerique editores recte in textum receperunt, nam contentam esse uno viro mulieri laus est eximia at omnino non laus nimia. Cf. Magnus in Fleckeiseni annall. philoll. vol. CXIIII, 6 ubi Peiperi conjecturas et interpretationes refutat]. — Huc etiam pertinent CXV, 6 mare ad Oceanum et LXIX, 6 valle sub alarum.

Hic usus, qui jam apud antiquissimos poetas invenitur, latissime apud Lucretium patet si fidem habemus Staedlero [Diss. Jen. 1869 de sermone Lucretiano]: „Nam inter plus centum illius consuetudinis exempla, septuaginta quatuor praepositiones monosyllabas: „in, per, ad, de, ex, ab, a" duo „inter" (IIII, 575. VI, 581) unum „sine" (VI, 207) inter substantivum aut pronomen qualecunque interpositas exhibent, tredecim easdem fere monosyllabas ac „sine", unum I, 155 inter substantivum et ex hoc pendentem genetivum collocatas".

Apud omnes scriptores praepositionem inter attributionem et substantivum poni posse videmus. Huius autem consuetudinis permulta in Catulli obvia sunt exempla, non raro praeterea ante praepositionem unum vel plura vocabula locum invenerunt. In antecedente adjectivo major inest vis, quod quidem ex exemplis facile intelligi potest. Adjectiva a nominibus gentium derivata semper fere primum habent locum, quod substantivum accuratius definiunt.

Exempla sunt:

In: IIII, 11 Cytorio in jugo 16 tuo stetisse in cacumine 17 tuo imbuisse palmulas in aequore 20 utrumque in pedem. XVII, 4 cavaque in palude 13 tremula patris dormientis in

ulna. 26 tenaci in voragine XXI, 3 aliis erunt in annis XXIII, 20 toto decies cacas in anno XXIIII, 3 aliis erunt in annis (item IL, 3) XXXIX, 17 Celtiberia in terra XLV, 16 mollibus ardet in medullis 23 Uno in Septimio LV, 14 Tanto te in fastu [1]) [ita enim V exhibuit, quam lectionem recte acceperunt Lachm. Westph. Ellisius; Muretus scripsit „ten" eumque secuti sunt Handius, Heysius, Schwabius, Muellerus, Baehrensius; de hoc usu (viden, ten etc.) disputat Heussnerus (dissert. Marb. 1869 observ. gramm. in Catullum) qui putat cum Mureto „ten" restituendum esse] LV, 18 clauso tenes in ore LVII, 7 uno in lectulo LXI, 165 Tyrio in toro LXIII, 58 haec ferar in nemora LXIIII, 128 adversas procurrere in undas 133 deserto liquisti in litore 151 supremo in tempore 167 mediis versatur in undis 168 vacua mortalis in alga [alga V, vide Baehrensium ad hunc locum et Wagnerum, Mus. rhen. vol. XXI] 313 prono in pollice LXV, 7 coelesti in limine LXVI, 56 casto collocat in gremio LXVIII^b, 1 qua me Allius in re 21 lasso in sudore 31 trito fulgentem in limine 64 pacato degeret in thalamo 82 testatas intulit in tabulas 92 nostrum contulit in gremium 94 crocina candidus in tunica LXXVI, 21 imos ut torpor in artus CXV, 4 uno qui in saltu.

Ex. IIII, 15 ultima ex origine IX, 1 omnibus e meis amicis LXIII, 36 nimio e labore LXIIII, 14 candenti e gurgite 66 toto delapsa e corpore 74 curvis e litoribus 114 labyrintheis e flexibus 125 imo fudisse ex pectore 241 summa prospectum ex arce 382 divino cecinere e pectore (de hac Baehr. conjectura vide supra) 392 tota ex urbe LXV, 8 nostris obterit ex oculis 20 casto virginis e gremio LXVIII^b, 18 muscoso prosilit e lapide 53 jocundo e lumine [Quamquam haec conjectura Baehr. bonum praebet sensum, tamen rejicienda erit, quia nimis remota est a tradita codicum scriptura: de qua vide Baehrensii editionem. Cf. Rossberg annall. philoll. 1877]. XCIX, 9 nostro contractum ex ore.

---

[1]) Ellisius defendit illud „in" in libro cui inscribitur: „Commentary on Catullus" ad hunc versum.

De. LIX, 3 ipso rapere de rogo LXIIII, 397 cupida de mente LXVI, 39 tuo de vertice LXVIII$^{a}$, 25 tota de mente CI, 7 prisco de more [de hac conjectura Westphali vide supra].

Ad. IIII, 24 hunc ad usque limpidum lacum XXIII, 18 hanc ad munditiem LXIII, 20 Phrygiam ad domum — Phrygia ad nemora LXIIII, 85 Magnanimum ad Minoa 121 spumosa ad litora LXVII, 22 mediam sustulit ad tunicam XCV, 5 cavas Satrachi penitus mittetur ad undas CI, 2 has miseras frater ad inferias. CI, 8 tristes munera ad inferias [ita Itali, tristi munere V, quod recepit Baehrensius].

Ab. XXV, 9 tuis ab unguibus LXIIII, 134 me patriis avectam perfide ab oris 275 Purpureaque procul nantes ab luce [Baehrensius „nascente" scripsit pro „nantes" quod codd. G et O tradunt. Magnus rejecit hanc supervacaneam conjecturam (Zeitschrift f. Gymnasialwesen 1878) et Rossberg in annall. philoll. 1877 vol. 115] 350 cano solvent a vertice crinem (si Baehrensii conjecturam accipimus, at vide supra p. 37 LXXXI, 3 moribunda ab sede CII, 1 fido ab amico.

Post. XCV, 1 nonam *post denique messem*, nonamque post hiemem.

Pro. LXVI, 37 quis ego pro factis.

Cum. LXIIII, 53 celeri cum classe (V tradit „cum", quod editores receperunt praeter Baehrensium, qui scripsit „tum") 112 multa cum laude 298 sancta cum conjuge 329 fausto cum sidere LXXVII, 2 magno cum pretio XCVIII, 3 ista cum lingua.

Per. LXIIII, 2 liquidas Neptuni nasse per undas CI, 1 multas per gentes et multa per aequora IIII, 18 tot per impotentia freta.

Sub. LXIIII, 154 sola sub rupe LXV, 21 molli sub veste.

Ante. LXVI, 67 tardum dux ante Booten.

Contra. LXIIII, 101 saevum cupiens contra contendere monstrum.

Subter: LXV, 7 Rhoeteo quem subter litore.

Quid Hupii verba: „haud raro etiam alia vocabula inter attributionem et substantivum posita sunt praepositio autem semper post primam vocem tenet locum" sibi velint, non

satis intellexi. Si respiciunt ad collocationes ut: „aliis *erunt* in annis“ verba non in omnia exempla quadrant, legimus enim: 14, 17 tuo imbuisse palmulas in aequore 17, 13 tremula patris dormientis in ulna etc. cf. LXIIII, 2. XCV, 5 aliaque; quadrant in LXIIII, 101 saevum cupiens contra contendere monstrum. — Ut in hoc exemplo etiam XCV, 1 vocabulum interpositum est inter substantivum et praepositionem.

Sed iam agamus de locis, in quibus praepositio ante substantivum habet locum, sejungitur autem ab eo interpositis vocabulis; plerumque sequitur praepositionem genetivus ad substantivum pertinens. XIIII, 18 ad librariorum curram scrinia XXVI, 1 ad Austri flatus XXXIX, 2 si ad rei ventum est subsellium 4 si ad pii rogum filii LXIII, 52 ad Idae tetuli nemora (pedem) LXVI, 76 a dominae vertice LXVIII$^{b}$, 4 a mortis limine 17 in aerii perlucens vertice montis. LXXXVI, 4 in tam magno est corpore XC, 1 ex Gelli matrisque nefando conjugio.

Negari non potest in vocabulis interpositis semper praecipuam inesse vim. Disyllabae praepositiones in tali collocatione non leguntur.

Si duo substantiva quae ex eadem pendent praepositione inter se conjunctione copulativa conjunguntur, praepositio interdum ante utrumque invenitur. Cf. XXIII, 5 cum tuo parente et cum conjuge lignea parentis, alio loco: cum matre et sorore. Repetitur praepositio: CI, 1 Multas per gentes et multa per aequora vectus CXV, 6 usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum. — Memoratu fortasse digna sunt haec exempla: XXVI, 2 non ad Austri flatus opposita est neque ad Favoni nec saevi Boreae ant Apeliotae — verum ad etc. XI, 2 Sive in extremos penetrabit Indos — Sive in Hircanos Arabasve molles Seu Sacas sagittiferosve Parthos Sive etc. [*ve* pro *que* quod in editionibus occurit Baehrensius ex scriptura codicis O: „arabas ve sagitiferosve“, G: „sagittiferos ve arabaesque recte restituit]. Ubi substantiva conjunguntur per „nec — nec, sive — sive“, praepositio iterari solet, supra contra vulgarem regulam et in prima et in secunda enuntiationis parte locum habet. — Plerumque praepositio solum

priori substantivo praeponitur: in dies et horas, in joco atque vino. Ita passim.

Semel Catullus praepositionem ante alterum substantivum posuit Graecorum loquendi modum sequens XXXIII, 5 exilium malasque in oras. Hupius condendit hunc collocationis modum apud poetas solos reperiri ut apud Horatium carm. III, 25, 2. Disputat de hoc versu Koldewey: Zeitschrift für Gymnasialwesen vol. 31 p. 355 in commentariolo de figura ἀπὸ κοινοῦ. Hic praeterea memoriam facit versus LV, 3 apud poetam nostrum, sed de hoc vide infra.

Praepositionem non iterare solent scriptores in enumeratione rerum nisi unam quamque rem praecipua quadam vi afficere in animo habent. Ex hoc usu Catullus scripsit IX, 3 Venistine domum ad duos penates fratresque unanimos anumque matrem? XIII, 4 non sine candida puella et vino et sale et omnibus cachinnis, at: LV, 3—6 Te in campo quaesivimus minore, te in circo, te in omnibus libellis, te in templo — in Magni simul ambulatione. De versu tertio editores inter se dissentiunt. In architypo V fuit: te campo quaesivimus in minore, quod metri legibus repugnat. Scaliger praepositionem „in" ejecit, Silligius ante „campo" posuit; hunc Westphalius secutus est, Scaligerum Lachm. Heysius, Vahlenus Muellerus Ellisius. Schwabius ad Silligii emendationem annotat „quod fortasse verum est", in textum Scaligeri conjecturam recepit. Baehrensius cum editione anni 1473 scripsit: „te quaesivimus in minore campo." Equidem „in", quod codices tradunt, retinendum esse puto praelata Silligii scriptura[1]) primum quod ita metri rationi satisfactum esse videtur, tum quod in huius enuntiationis singulis membris iteratio „in" praepositionis permultum valet ad studium amici Camerium quaerentis exprimendum.

Paucis attingam versus nonnullos in quibus aliquid inusitati invenitur. Praepositio si iam substantivo addita est apud pronomen relativum ad illud pertinens nonnunquam omittitur. Alterum loquendi genus invenimus CI, 10: gaudium in omni culpa est in quacunque est aliquid sceleris.

---

[1]) Silligii emendationem defendit etiam Overholthaus p. 33.

Multo inusitatius est XXXV, 14 „quo tempore legit ex eo edunt“, quod praepositio non substantivo sed pronomine addita est; at vix ferri potest quod in plerisque editionibus legimus LXIIII, 73: Illa tempestate, ferox quo ex tempore Theseus. In V erat scriptum: feroxq; ꝛ tempore. Sed audiamus de hoc loco Ritschelium (Ind. lectt. hibern. 1857 p. 6 Op. philol. III p. 595): „Nec profecto minuitur sed augetur insolentia sermonis cum omissa in priore membro praepositione, adjecta in posteriore, 'illa tempestate ex qua tempestate' dicitur pro eo quod esse debuit „ex illa tempestate qua“, vel, „ex, qua“: nedum ut mutata forma nominis placeat 'illa tempestate quo ex tempore'.“ Sed ipse inspicias huius viri librum. Bene emendavit: ferox quom robore Theseus: ἀλκὶ πεποιθώς. Nec male se habet id quod Froehlichius proposuit, Baehrensius recepit: ferox qua robore.

Disjunctio praepositionis a verbo quam tmesin vocamus apud Catullum nusquam locum habere videtur; certe in illis versibus, qui a Hupio afferuntur, causa non est quae nos cogat tmesin statuere.

Denique aliquid proferam quod ad rem metricam pertinet. Caesura interdum dirimit praepositionem a substantivo in pentametro versu: LXXXVII, 4 quanta in amore tuo ex parte reperta meast. LXXVI, 18 Extrema (vel mam) iam ipsa in morte tulistis opem CXI, 2 nuptarum laus e laudibus eximiis. Silentio praeterire nolo duos versus, quos ultimos attuli, valde addubitatos et conjecturis tentatos esse a criticis. — — Versus tales qualis est LXVI, 76 Afore me a dominae vertice discrucior passim inveniuntur.

## V.

## Comparatur usus praepositionum apud Catullum et Lucretium.

Transeamus nunc ad comparationem inter Lucretianum et Catullianum praepositionum usum instituendam, sed ita ut paucis lineamentis proprietates utriusque poetae in hac re adumbremus. Lucretius et Catullus, etsi floruerunt ea

aetate qua lingua latina per Ciceronem et Caesarem ad summam perfectionem producta est, tamen ad antiqnitatem magis inclinavit, quam ad aequalium consuetudinem. Ut omittam dicere de orthographia et verborum flexione, quae res iam ab aliis fusius pervestigatae sunt, in rebus quae ad syntaxin pertinent veterum poetarum sermonem imitati sunt, et Lucretius quidem magis anxie priscorum poetarum vestigia pressit quam Catullus. Haec valent etiam de praepositionum usu, in quo Lucretius haud raro a Catullo dissentit. In eligendis formulis (quarum ille magnam habet multitudinem), locutionibus, verbis, adjectivis, quae rariore modo cum praepositionibus conjunguntur, in omnibus his rebus sicut etiam in phrasibus illis, quas solus sibi finxit, differt Lucretius a Catullo. Propria autem particulae vis ac ratio minime talia effingere impedit, praesertim quum poetis, ut arti suae consulant, linguae legibus liberius uti liceat. Ceterum quamquam alter a particulis quibusdam omnino abstinuit, illas locali tantum, has metaphorica significatione usurpavit, multis tamen in rebus poetas consentire inter se vix est quod moneam. Praeterea apparet, magni in hac re momenti fuisse materiem ab Lucretio tractatam, tam alienam ab ea, quam in Catulli carminibus reperimus. Quid quod etiam apud Catullum nonnullas praepositionum proprietates in iis tantum carminibus invenimus quae ad lyricum genus poesis pertinent, non item in iis quae ad epicum genus accedunt, quamquam si quis contendat, hoc discrimen casui tribuendum esse, equidem non vehementer repugnaverim. Sed ut ad propositum veniamus, singulas particulas, eundem ordinem sequens, quem supra adhibui percurram et de iis quae obvia sunt paucis disseram.

## Praepositiones cum accusativo conjunctae.

**Ad**: Ad de motu (sive vero sive per metaphoram intelligendo) in locum aliquem saepissime adhibetur a Lucretio, interdum additus est terminus a quo motus exit: I, 788. In nonnullis exemplis huius generis notionem agnoscere licet: „usque ad“, quae ab Holtzio soli versui VI, 1668 „flagrabat

ad ossa" attribuitur. Ut iam a Plauto ita etiam a Lucretio haud raro „usque" praepositioni „ad" additur. Exempla apud Holtzium sub lit. a) inveniuntur. Eodem modo **ad** cum notione „versus" exstat apud Lucretium II, 325 II, 328 etc. plerumque apud verbum: „verti" ad. Hic quoque usus iam apud veteres scriptores ut apud Ennium est: „manus ad caeli caerula templa tendebam"; „spectare ad" et similia. De usu praepositionis „ad" pro „apud" cf. Holtzeium L. p. 71 c. et Holtze. s. p. s. l. p. 201, a Catullo et Lucretio „ad" pro „apud" plerumque de locis dictum est. Locutiones ut Catulli: „quid ad me" frequentes sunt. Cf. Holtze. p. 72, h., semper autem additum est verbum vel ut: esse, pertinere, attinere. De usu praepositionis ad finem et consilium indicandum vide H. p. 71 g; hoc tantummodo hic addere liceat: Lucretius saepe adjectiva qualia sunt: utilis, aptus cum hac praepositione conjungit, Catullus non item. In universum de hac re disputavit Richterus [Programm v. Königsberg 1859 p. 15]. Consuetudinem illam jam ante Lucretium notam esse colligi licet ex Holtz. s. p. s. l. p. 200. Ennius: „quod ad vitam humanam utilis esset". Saepe a Lucretio praep. „ad" cum gerundio conjungitur [1]). His in rebus Lucretius non multum a Catullo dissentit; at de comparatione rei cum alia re (cf. H p. 71 e) qua cum notione „ad" iam in Plauti comoediis invenitur (Pl. Mil. I, 1, 12 IV, 1, 21), — de tempore ad quod actio producta est (cf. Pl. Asin II, 1, 15 ad diei tempus dormisti) H p. 71 d., cum significatione praepositionis „secundum" (H p. 71 f. cuius exemplis addas I, 750 III, 214. 397) praepositionem apud Catullum non reperimus. Catullo contra propria est dictio: „addere ad", ubi Lucretius dativum adhibet, praeterea usus praepositionis „ad", quo significatur: numerum aliquem ad alium proxime accedere, apud Lucretium non est. Cf. Catull. XXVI, 4 etiam XI, III, 3. Plaut. Epid. II, 2, 113 „ad quadraginta fortasse minas". De loco Lucretiano VI, 316 „semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum" cf. Handii Turs. I p. 97. Holtzius non recte

---

[1]) „Ad" et „in c. abl." saepe cum gerundio conjunguntur a scriptoribus, vide Draeger. S. H. I p. 816.

ut mihi videtur de motu in locum hunc versum intelligit, occasionis vel causae significatio fortasse inest (Beim Schlag). — „Ad“ praepositio fere pro dativo posita est II, 135 proxima sunt ad viris principiorum.

**Apud:** Praepositio apud a Lucretio tantummodo de vicinia rerum dicitur VI, 848 apud Hanonis fanum est. VI, 747 „Cumas apud“, Catullus contra dicit: „Paduam — ad ipsam“ cum eadem significatione. De hoc usu cf. Greefium in Philologo vol. XXXII p. 573. Draegerum H. S. I p. 585. A scriptoribus quos classicos vocamus semper fere „ad“ urbium nominibus apponitur, raro (apud Caesarem bis) „apud“; aliter comici et posteriores scriptores, qui „apud“ de urbibus pro „in“ dicebant.

**Prope:** Ut apud Plautum, ita apud Lucretium praepositio semel tantum legitur, et ita quidem ut de loco dicatur VI, 848. Adverbium nusquam est. Apud Catullum quater praepositionis, semel adverbii locum tenet. Prope de motu et appropinquatione dictum apud Livium primum exstat.

**Propter:** Praepositio „propter“ quae apud Catullum semel cum loci significatione ponitur, a Lucretio ut a priscis scriptoribus et adverbii et praepositionis loco saepe usurpatur, quater decies cum loci, ter decies cum causae significatione. H p. 84.

**Juxta:** apud Lucretium locum non iam habet (sed cf. L. ed. Eichstädt I, 846 „illis iuxta“ i. e. „eodem modo quo illi“; nunc deletum est) quae res nos fortasse eo magis movere potest, ne hanc vocem conjectura in Catulli carmina recipiamus. Praepositio „iuxta“ inde a Caesare in latiorem usum pervenit. Scriptores aetatis antecedentis hanc praepositionem non adamasse videntur. Adverbium iuxta saepius apud Plautum conjunctum cum praep. „cum“ invenitur, significatione „similiter, aeque“ praeditum. Adverbii loco apud Lucretium „iuxtim“ (aequaliter) bis invenimus. H. p. 158.

**Praeter:** Usus hujus praepositionis apud Lucretium latius patet quam apud Catullum. Eodem modo quo a priscis scriptoribus (cf. Holtz. s. p. s. l. p. 215) „praeter“ dicitur a Lucretio de loco, de re excedente, de exceptione, etiam adverbii locum „praeter“ tenet. Valde autem dubium est

num haec praepositio a Lucretio ut a Catullo de re praestanti dicta sit ut Holtzius opinatus est Lucr. II, 920.

**Ante:** Saepissime est adverbium „ante“ et apud Lucretium et apud Catullum. De loco apud Catullum semel cum notione quietis: ante pedes, saepius apud Lucretium exstat, imprimis in formula: „ante oculos.“ „Ante“ a Lucretio semper ista usurpatur ut persona oculos vertat ad rem, ante quam stat I, 90; ante aras, nam „ante aras“ sacra facientes dicuntur, „pro aris“ autem, qui illas defendunt. De re praestanti ut in Calulli libro „ante“ apud Lucretium nusquam legitur. Idem valet de Cicerone et Caesare. Semel de tempore dictum est II, 938 „ante ipsam genitam naturam animantis“, quem usum apud Catullum non reperimus.

**Post.** Praepositio „post“ ut a Catullo ita a Lucretio de solo tempore dicitur: post haec, post obitum etc. cf. H p. 83.

**Adversus:** Bis apud Lucretium praepositio est ac primum quidem dicitur de motu versus rem aliquam IIII, 445: „labier adversus nimbos“, tum de animo quo agimus V, 310 „adversus naturae foedera niti.“ Adverbium semel est V, 1319: adversum venientibus petebant. Catullum „adversus“ nec praepositionis neque adverbii loco usurpasse supra diximus.

**Contra:** Adverbium „contra“ iisdem cum notionibus a Lucretio adhibetur quibus a Catullo pro voce: „vicissim“ et pro: „at“ vel „autem“ interdum Lucretius insuper addit aliam particulam adversativam: „contra autem“, „at contra“ (saepius ita, cf. H p. 74). Praepositio contra non solum dicitur de impetu hostili ut apud Catullum, sed etiam de loco: IIII, 156 contra speculum ponere (gegenüber). Utramque notionem iam a priscis scriptoribus adhibitam esse videmus ex Ennii annall. VI fr. 3 v. 181 „contra carinantes verba obscoena facere“ et ex Catonis lib. R. R. c. 18 „uti contra ora sient“ (fortasse hoc loco scribendum est: contraria. Cf. Holtze s. p. s. l.).

**Circum:** quod vocabulum semel apud Catullum legitur et praepositionis quidem loco, et adverbium et praepositio est apud Lucretium. Exempla vide apud H p. 73. Forma illa altera „circa“ etiam in Lucretii libris non invenitur.

**Trans** apud Lucretium, sicut apud Catullum, semel

legitur V, 914 „trans maria alta pedum nisus ut ponere posset".

**Ultra** quod apud Catullum adverbium est, apud Lucretium praepositionis vi legitur IIII, 269 „ultra speculum." De loco dictum est; adverbium est I, 960 nisi ultra sit quod finiat. Catullus „ultra" metaphorice usurpat.

**Ob** particula a Catullo nusquam usurpata decies est apud Lucretium cum significatione causali. „Ob" praepositione plerumque de motu in loco aliquo prisci scriptores utuntur; de quiete in loco aliquo dicta apud Ciceronem invenitur.

**Intra** apud Catullum semel, bis apud Lucretium legitur. II, 1118. IIII, 611 hoc autem loco ex Lachmanni conjectura. Eandem habet notionem localem apud Ennium, Plautum, Lucretium, Catullum.

**Inter.** Usus praepositionis „inter" valde frequens est apud Lucretium. Ex Holtzii distributione p. 75 sq. praepositio a) ponitur de loco et de hominibus vel rebus in aliquo loco versantibus b) de diversis rebus et de discrimine, quod inter duas res pluresve intercedit. c) Saepissime dicitur „inter se" de actione mutua. d) Apponitur nominibus rerum in tempore factarum. Jam priscorum aetate eodem modo usurpatur et de loco dictum pro in c. abl. positum esse videtur. A Catullo de loco tantum et de mutuo hominum consortio et familiaritate dicitur.

**Per.** Saepissime praepositio „per" apud Lucretium invenitur. Multo magis varius est usus praepositionis quam apud Catullum, imprimis quod ad significationem localem attinet. Nam non modo de via et de loco permeando dicitur sed etiam de rebus in loco aliquo dissipatis distributisque (II, 24. III, 143. IIII, 415) de rebus per quas transit aliquid (II, 388. IIII, 272 Hand Turs. IIII p. 430) denique pro „in" locum habere videtur I, 30. — In formula jurandi „per" apud Lucretium non invenitur, cum „licet" conjungitur ut apud Catullum. De modo dicitur ut a Catullo: V, 10. VI, 181 VI, 945. — Praeterea dicitur de causa et instrumento, exempla H p. 82 c. collegit, quem usum apud Catullum non invenimus. — Lucretius, non item Catullus hac praepositione de tempore utitur etiam apud ea nomina quae res in tempore

factas significant. H p. 81, b. Nihilominus ille praeterea accusativum temporis adhibet. Saepissime praepositio cum pronominibus personalibus compositum indicat agi rem sine alterius ope aut consilio, vel non aliis rebus additis" cf. Hand. Turs. IIII p. 441. Exempla contulit H p. 82 e. Apud Catullum locutio illa „per se" non exstat. — Interdum denique I, 634: „motus per quae res quaeque geruntur" II, 898 „putrefacta per imbres" V, 72 et II, 258 significatio praep. „per" haud ita longe distat ab abl. causae, instrumenti, rei efficientis significatione. De simili usu praep. „ab" apud Lucretium vide infra. A Catullo talis consuetudo aliena est.

Inveniuntur apud Lucretium praepositiones cum accusativo conjunctae quibus Catullus usus non est: *citra* (semel) *extra* (octies) *infra* (semel IIII, 111 „primordia sunt infra nostros sensus" i. e. sensibus percipi non possunt primordia) *ob* (decies) *penes* (semel II, 1010 cum locali notione) *secundum* (semel) *supra* vel supera (duodecies).

## Praepositiones cum ablativo conjunctae.

**A. Ab.** Quod ad usum huius praepositiones attinet Lucretius cum Catullo fere consentit. Nihilominus nonnulla monenda sunt. Verbum „fugere" conjungit Lucretius cum praepositione ab I, 1090, Catullus cum simplici ablativo XXXVII, 11; verba defendendi et metuendi cum hac praepositione a Lucretio non conjunguntur. Porro interdum „ab" in significationem: von Seiten, in Bezug auf (Hand. Turs. I p. 57) se convertit III, 74. VI, 1111. Similem significationem ei quae est apud Cat. 45, 19 pro „post" acciperet „ab" si II, 919 „ab coetu conciloque" legeremus, sed vide Lachmannum qui scripsit „at". De usu „ab" pro simplici ablativo causae cf. Staedlerum (Dissert. Jenens. 1869 de sermone Lucretiano) qui exempla collegit: alimur ab rebus, fieri ab sensibus, pressa ab bruto pondere etc. — VI, 968 „umor aquae porro ferrum condurat ab igni"; aut hoc loco „ab" idem est quod „post" (gleich vom Feuer weg, nach dem Feuer) aut cum Staedlero addendum est participium: „mollitum" ita ut „ab" pro casu sexto positum sit. Sunt praeterea apud Lucretium

loci, ubi „ab“ pro genetivo positum esse videtur (Cf. Staedlerum et Holtzium p. 53) II, 51 „fulgorem ab auro“[1]) pro: fulgorem qui ab auro proficiscitur; I, 935 „non ab nulla ratione videtur“, ubi „ab“ item originem exprimit. In prosa oratione dictum esset: fulgor auri, non nullius rationis esse i. e. cum aliqua ratione. De ceteris quae huc spectant exemplis vide Staedlerum: I, 719. II, 132. III, 644. V, 300.

De formulis: ab imo, ab summo (III, 197 vide Lachmannum ad III, 1001) a parte (cf. Lachm. ad Lucr. IIII, 830) disputat Handius in Turs. I p. 24.

De dicititur de loco, unde aliquid movetur, sive verus est locus sive res per metaphoram pro loco accepta H p. 57. Eandem notionem apud Catullum invenimus, sed apud Lucretium usus latior et magis varius est. Separationis notio rerum, quae antea necessaria quadam ratione conjuncta fuerunt, semper elucet; ergo explicatio illa „descensus ex loco superiore inest“ non ubique quadrat. Exstat enim I, 788 meare a caelo ad terram, de terra ad sidera mundi (loquitur de aqua, quae certe ad terram pertinet) VI, 1101: „de terra surgunt“ et alia, VI, 427 in mare de caelo descendat scil. fulgur, nam fulmen in nubibus oritur, ibi, ut ita dicam, domum suam habet. — Saepe in Lucretii carminibus „de“ originem indicat, nusquam ita in Catulli libro invenitur qui modo „a“ vel „ex“ dicit. „Plautus in designanda origine aut solo ablativo utitur aut additis „de“ vel „ex“ praepositionibus.“ Cf. Holtzium L p. 59: creari, nasci, fieri, gigni cum „de“ componuntur.

Haud raro Lucretius simplici ablativo ad originem exprimendam utitur neque solum apud participia: ortus, natus etc. ut Catullus plerumque. — In usu praepositionis pro Graecorum περί c. gen., in significatione partitiva (cum voce „unus“ Lucretius praepositionem non coniungit) Lucretius non differt a Catullo. Saepissime autem nobis occurrit formula „cetera de genere“ pro qua Cicero plerumque dicit: „quae sunt ejusdem generis.“ Hand. Turs. II p. 203. De tempore praepo-

---

[1]) Hic usus iam apud Terentium extat. Cf. Andr. I, 1, 129 „ab illo injuria.

sitio ab utroque poeta usurpatur. V, 651: de longo cursu sol ultima caeli impulit. Formulam „de subito" bis habemus II, 265. III, 643. Cf. Hand. Turs. II p. 226. Locutiones illas „de die", „de nocte" non invenimus. Denique nobis in Lucretio occurrunt locutiones: „qua de causa" (VI, 85) et: „hac de causa" (VI, 204). Apud Catullum tale quid non exstat. Omittere nolo formulam illam „de parte" quae saepe usurpatur ad regionem quandam denotandam. Pro adverbio invenimus apud Lucr. I, 412 „de plano" (pro: „plane" i. e. simpliciter ac nude). Cf. de hoc loquendi usu Hand. Turs. II, 226 et Draeger. H. S. ad DE Nr. 9.

Fortasse etiam Lucretius „de" cum significatione „secundum" adhibuit. Codices tradunt V, 154 „tenues de corpore eorum" [1]. Lachmannus, cum hoc ei sensu carere videretur, suspicatus est poetam scripsisse: tenuest si corpu' deorum.

**Ex.** Hac in re Lucretius omnino cum Catullo consentire videtur. Notandae modo sunt formulae: quibus e causis, quacunque e causa (cf. H. p. 66), quae apud Lucretium passim exstant, apud Catullum non inveniuntur. Semel fortasse Lucretius „ex" de instrumento dixit: VI, 1012 „quo ducitur ex elementis". Ita Lachmannus quem vide ad hunc locum. Bernaysius „ex elementis" uncis includit.

**Prae** apud utrumque poetam significationem habet loci Lucr. IV, 286 V, 1310. De praestantia dictam hanc particulam apud Lucretium non invenimus, a Catullo aliena est significatio causae in sententia negativa. Lucret. IV, 1167: „cum vivere non quit prae macie".

**Pro.** Praepositio pro a Lucretio primum dicitur de remuneratione, deinde significat: „instar alicuius rei" denique idem est quod „secundum" (II, 321 pro ponderibus i. e. ratione gravitatis VI, 1280 pro re etc.). De loco dictum „pro" neque apud Lucretium neque apud Catullum exstat. Cf. Holtz. s. p. s. l. p. 346.

De commodo, ut apud Catullum, aut in locutione „pugnare pro" non invenitur haec praepositio in libris Lucretii.

---

[1]) Cf. Bouterweck (Philolog. Anzeiger 1872 No. 7).

— Tribus locis Lucretianis legitur adverbim: pro quam cf. Lachmannum ad VI, 11 et Handium in Turs. IV p. 616.

**Cum.** Praepositio „cum" semper societatem quandam significat; quamquam usus huius praepositionis tam varius est et multiplex, tamen non multum interest inter Lucretianum et Catullianum genus dicendi, quoad ad hanc praepositionem attinet. Commemoratione dignae sunt locutiones: „simul cum, una cum, pariter cum", quia tam frequenter occurrunt. Lucretius dicit: „jungere" c. dat. ut Catullus, sed etiam „jungere cum" non: „pugnare cum"; verba huius generis Lucretius cum dativo conjungit. „Proficisci cum classe", „cum" pro ablativo instrumenti, „cum" pro praep. „apud", in Lucretii libris non invenitur. De vestimento (ut apud Plautum: cum pallio) et de tempore nec Lucretius nec Catullus praepositionem „cum" usurpaverunt. Non raro invenimus apud Lucretium „cum primis" pro „imprimis". De conditione vitae et animi (I, 287. V, 867), de rebus quae rem aliquam agendam comitari videntur, de modo (Hand. Turs. p. 155) saepe „cum" usurpatum est a Lucretio. Pro ablativo qualitatis exstat I, 347. 755. V, 352. 364. VI, 5. II, 367.

**Sine.** Simplicissimus est usus huius praepositionis, qua de causa discrimen inter poetas non est. In Lucretii libris legimus ex vulgari illa lege: II, 423 „*haut sine* principali *aliquo* livore", contra II, 939 „sine odore ullo". Apud Catullum fortasse per casum pronomen additum non est.

**Tenus** a Lucretio ut a Catullo componitur cum genetivo pluralis, substantivo postponitur I, 940. IV, 15: „labrorum tenus". Plautum „tenus" cum casu sexto conjunxisse ex Men. V, 2, 106 intellegi potest: osse tenus. Plura exempla Holtzius non affert ex scriptoribus priscis. *Clam* et *palam* apud utrumque poetam adverbii munere funguntur.

## Praepositiones cum utroque casu conjunctae.

**In c. abl.** apud Lucretium conjunctum est cum nominibus loci et iis quae per metaphoram pro loco accipiuntur. Usus idem est ut apud Catullum. Ex versibus Lucretii

commemoro VI, 50 „in terris coeloque“ III, 227: „odorem in toto corpore“ II, 1099 „omnibus inve locis“ IV, 97 „in prima fronte“ IV, 71 „prima fronte“ (Ablativus loci omissa praepositione „in“ apud utrumque poetam valde frequens est.) Verba: „pono, loco, consisto“ in c. abl. secum habent ut apud Catullum, item vocabula: „fecundus, consors, conscius, deditus, florere“ (vide Staedlerum) inveniuntur cum in c. abl. conj. „Abditus“ VI, 844 in c. abl. IIII, 449 sub c. acc. secum habet. De tempore [1]), de copia pro „inter“, de conditione aliqua, de vestimento usurpatur ut apud Catullum haec praepositio. Lucretii proprium est in c. abl. de indole et facultate alicuius usurpare, praepositionem tam saepe cum ablativo gerundii et gerundivi componere (cf. supra de praep. ad c. gerund.), denique apud eum saepe adjectiva adjecta praepositione substantivi loco reperiuntur. De hoc usu cf. Nägelsbachii Stilist. p. 66, 2. In Catulli libro haec tantum invenimus: in tuto, in perpetuum.

**In c. acc.** Hic quoque Catullus paulum a Lucretio differt. „Mergere“ a Lucretio cum in c. acc. conjungitur. Aliquoties utitur formula „in cassum“ pro „frustra“ H. p. 100. Ex locutionibus „in partes“ quae saepe inveniuntur, in medium profero I, 966 in omnes tantundem partes i. e. nach allen Seiten hin. VI, 299 fit idem in omnes partes etc. I, 795 legimus: „commutatum veniunt“ pro „commutantur.“

Silentio praeterire nolo hoc loco formas illas antiquas „indu“ et „endo“ quarum illa cum accusativo et ablativo haec cum ablativo a Lucretio componitur.

Vide de his Hand. Tur. II p. 373 et III p. 373.

**Intus.** Intus adverbium est ad vim praepositionis augendam praepositioni „in“ additum, ut „usque“ ad praep. „ad et in“. Tum fere praepositionis vices suscepit. Lucretius primus „intus“ ita usurpat ut per se solum ablativum (in sexto modo libro) secum habere possit. Cf. Draeger. I p. 665. Hand. III p. 444.

**Sub. c. abl.** conj. a Lucretio non modo de vero loco

---

[1]) De praep. „in“ ad tempus finiendum disputat Staedlerus (Dissert. Jen. 1869).

ut a Catullo dicitur, sed etiam de loco per metaphoram intellecto I, 642 „inversis quae sub verbis laetantia cernunt." Praeterea Lucretius praepositionem adhibet ad id exprimendum quod actionem aliquam comitatur IV, 543 „graviter sub murmure mugit", — de potestate IV, 1122 „alterius sub nutu" etc.

In temporali usu huius praepositionis Lucretius cum Catullo consentit, nam Holtzio assentiri non possum propinquitatem temporis exprimi in: VI, 413 „ut fierent ictus uno sub tempore plures" VI, 416 „fulmina sic uno fieri sub tempore multa." Cf. Draeger. I p. 662. Idem est quod scriptores temporis Augusti per „sub eodem tempore" expresserunt.

**Sub. c. acc.** conj. Localis inest significatio IV, 419 „sub terras abditus" V, 654 „sub terras convertere" etc. — Per metaphoram intelligendum est I, 447 „sub sensus cadat." V, 1147 „cecidit sub leges artaque jura". „Sub" praepositio cum accusativo conjuncta, de tempore dicta apud Lucretium non invenitur, contra cf. Catull. 64, 271. Sub c. acc. conj. ab omnibus scriptoribus raro adhibetur.

**Subter c. abl.** conj. quod ex Draegeri sententia (H. S. p. 664) solum apud Catullum et Virgilium legitur in Lucretii carminibus semel exstare videtur (cf. H p. 102). V, 1324 „et latera ac ventres hauribant supter equorum cornibus." Holtzius conjungit „supter" cum „cornibus". Sed si quis contendat „cornibus" esse ablativum instrumenti „subter" adverbii locum tenere, vix habeo quo eum refutem; bonus evadit ex hac interpretatione sensus, fortasse melior quam ex Holtzii.

**Subter c. acc.** conjunctum ante Lucretium modo a Q. Fabio Pictore usurpatum [1]) videtur esse: „subter arborem felicem", Cicero hanc praepositionem bis adhibuisse dicitur, apud Lucretium ter (nam in quarto exemplo quod Holtzius affert VI, 697 „subter" omnino non praepositio est) de loco positum invenitur. Catullus praepositione c. acc. conjuncta usus non est.

Saepe „subter adverbii locum tenet apud Lucretium" Exempla collegit H p. 102.

---

[1]) Cf. Peter, veter. histor. Romanorum reliq. p. CLXXVIIII.

**Super.** De adverbio cf. H. p. 101.

De praepositione super c. *ablativo* conjuncta, quae apud Catullum non exstat, conferas Holtzium s. p. c. l. p. 86 et Draegerum H. S. p. 664 quorum ille scripsit: super cum ablativo semper habet translatam significationem, idemque significat quod „de" über, in Betreff; hic putat „super" cum ablativo de loco dictum inde a Virgilii et Horatii temporibus in usum venisse, contra „super" cum notione „de" omnibus aetatibus in usu fuisse. Vir ille doctus errasse videtur, nam in Lucr. carminibus quinque exstant loci, ubi super casum sextum secum habet, inest autem semper significatio loci.

Super cum *accusativo* conjunctum significat: darüber hin, darauf. Ita apud Lucretium et Catullum. Exempla ex in Lucr. sex carminibus collecta vide in libello Holtzii qui inscribitur: Syntaxis Lucretianae lineamenta p. 102.

**Insuper.** Haec particula apud auctores quos classicos nominamus non invenitur, in Catonis autem et Virgilii scriptis cum praepositionis vi exstat. Apud Lucretium in sexto libro legitur et cum utroque casu conjuncta esse videtur. VI, 1283 „namque suos consanguineos aliena rogorum insuper extructa ingenti clamore locabant", hoc in exemplo facile accusativum ex „insuper" praep. pendere intellegis, at incertum est utrum in VI, 521. 191 „insuper" conpositum sit cum ablativo annon. Handius III p. 386 recte adnotat: „Sed in his si quis dativum intellegi malit, non deerit ei iusta causa." Catullus hac particula usus non est.

## VI.

## Verba cum praepositionibus composita.

De omnibus, quae apud Lucretium et Catullum exstant verbis compositis in hoc capite disputare a consilio meo alienum est (De Lucretio cf. Keller Diss. phil. De verborum compositorum cum praepositionibus apud Lucretium usu). Verba, quae apud Catullum ex compositione notionem transitivam acceperunt iam singulis, de quibus disserui, praepositionibus addidi. Nunc igitur ostendere conabor, quae sit in

Catullo verborum compositorum structura, utrum cum praepositionibus an cum solis casibus conjunctae reperiantur. Omitto autem ea verba quae non nisi absolute leguntur. Usum Plautinum hic illic ascribam. (Cf. Ulrich: Programm d. lat. Hauptschule Halle 1880: De verborum compositorum quae exstant apud Plautum structura commentatio).

Abesse: a, abl. 63, 60. — Lucret: a, dat. (sic Ulrich) puto: abl. — Plaut. *a*, dat abl. (domo).

Abhorrere: absolute. — Lucr.: a.

Abire: abl. 63, 74 [cf. Haase p. 201 de verbo „abire"].

Abluere: absol. — Luc. de, dat.

Abstinere, a 61, 134. — Pl. a, *abl.*

Abvolare: 66, 35 cf. Advolare.

Auferre: ex, dat. incomm. 68a, 20. 101, 5. — Luc.: ex, dat. — Pl. *a*, *ex*, dat.

Avellere: abl. 62, 21. — Lucr.: a, abl.

Avertere: dat. vel abl. (?) 64, 5. 406. — Lucr.: abl. Pl.: a.

Antistare: dat. 9, 2.

Accidere: dat. 96, 1. 74, 3 (cum notione: treffen, zustossen). — Lucr.: in, ad, dat. (acc. V, 607). [Cf. Draeger: apud classicos: ad, apud priscos scriptores: ad. dat. p. 377].

Acquiescere: 31, 10 lecto acquiescere. — [Cf. Draeger: apud classicos: in c. abl., dat.; — abl. instr. inde a Ciceronis temporibus].

Addere: ad 23, 18 dat. 66, 36. — Lucr. dat. — Pl. ad, dat. [Draeger. p. 421: Cicero: ad, raro: in, dat].

Adesse: dat 64, 336. — Lucr.: dat. — Pl.: ad, in, *dat.* — [Draeger.: Plaut. etiam: aqud, Cic. tatum: dat.]

Adire: acc. — Luc. acc. — Pl. ad, *acc.* [Cf. Draeger p. 377 p. 409].

Adimere: dat. (e 68b, 53 ex conjectura Baehrensii).

Admovere: dat. 2, 3. — Lucr. ad. — Pl.: dat.

Advenire: dat. comm. 61, 37. de „ad" cf. 101, 2. — Lucr.: ad. — *ad*, *in* (apud priscos scriptores) *dat.* (ethicus.,

Advolare: acc. 66, 55. — Lucr. ad. — [Apud classicos scriptores: ad, in. Cicero semel: acc. (ad Attic. I, 14, 5)].

Afferre: dat. incomm. $68^b$, 52. — Pl. ad, dat. [Cf. Draeger. p. 416].

Affligere: acc. 71, 6 Illam affligit. — Pl. ad.

Attribuere: dat. 22, 20. — Lucr. dat (cf. Keller).

Conferre: dat. 64, 343 (idem est quod vergleichen) se conferre in gremium $68^b$, 92. [Cf. Draeger. p. 425].

Conjungere: cum 64, 331. 91, 7. dat. 64, 10 (de 62, 54 vide Baehrensium, „eadem est ulmo conjuncta marita“ alii: „marito“). — Lucr.: cum, dat., abl. [Cf. Draeger. p. 425].

Convenire: dat. 57, 1. 10. — Lucr. dat. (apud utrumque poetam significat: „aptum esse alicui rei“). — Pl. cum, *acc.*, dat., [Cf. Draeg.: dat., cum, ad].

Conciliare: dat. $68^b$, 90: flavo conciliata viro. — Lucr. dat.

Comparare: dat. 61, 65. cum 43, 7. ad 10, 15 (cum notione „erwerben zu“ vel „für“). — Pl. cum [Cf. Draeger p. 425].

Committere: dat. 102, 1. — Lucr. dat.

Concedere: dat. — Lucr. dat.

Componere: dat. $68^b$, 101 „vergleichen“. [Cf. Draeger. p. 425] $68^b$, 58 prope cognatos componere i. e. „beisetzen“.

Decedere: dat. com̄odi 64, 268. — Lucr.: abl. dat. personae. — Pl.: de, abl. dat. [Cf. Haase p. 201].

Decerpere: $68^b$, 87 abl. (fortasse abl. instrumenti).

Declinare: ex 64, 91 (ex illo lumina declinare). — Lucr. neutrali sensu cum ablativo II, 250.

Deferre: abl. $68^b$, 68. — Lucr.: ex, abl.

Demere: ex $68^b$, 106 dat. 99, 6 (vestrae saevitae). Item Lucretius.

Devolvere: ex 59, 4.

Devocare: abl. 66, 6. a 65, 2 (cf. Baehrensium).

Effluere: abl. 65, 18. — Lucr.: abl.

Effugere: frg. I meos iambos. — Lucr. abl. II, 45. IV, 38 (plerumque c. accusativo conjungitur). — Pl.: *ex*, a, abl, acc. (modo Amph. I, 1, 295).

Egredi: e 64, 114. 64, 74. — Pl.: ex, a, abl. (domo).

Eicere: abl. 68, 3 (fortasse abl. causae). — Lucr. a, abl. — Pl. ex, abl. (domo, aedibus).

Eripere: ex 65, 8 dat. — Lucr. ex, dat. — Pl. ex, *dat.*
Excidere: abl. 66, 24 (At vario modo verba horum versuum inter se conjungere licet, fortasse ablativus: „toto pectore" pendet a verbo „ereptis", tum solus dativus ad „excidit" pertineret. Versus sunt:
Ut tibi tum toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit!) —
Pl.: ex, dat.
Excitare: abl. 64, 56.
Excutere: dat. personae 65, 22. — Lucr. a. — Pl. ex, dat.
Exire: abl. 80, 3 (domo). — Lucr. ex, de, abl. acc. (Ullrich) Pl.: ex, a, abl.
Exprimere: abl. 42, 17 (ablativus locum habere potest pro „ex" aut pro „in") Lucr.: de, abl.
Expuere: abl. 64, 155 (Sed vide hunc versum). — Lucr.: ex.
Expellere: ex 76, 22. abl. 44, 7 — Lucr.: ex. — Plaut.: ex, abl.
Exstare: 64, 317 in filio exstare.
Imbuere: in c. abl. 4, 17. — acc. 64, 11. — abl. 64, 396.
Imminere: dat. 61, 166.
Impellere: in c. acc. 15, 15 (acc. 66, 53).
Implicare: in c. acc. 61, 105 (acc. 61, 35).
Ingerere: inger mi calices 27, 2, — Plaut: in, dat.
Incidere: in c. acc. 4, 21. — dat. 10, 5, absolute 10, 19 Lucr.: in c. acc., dat., acc. (?) IV, 568. — Pl.: in dat.
Inducere: in c. acc. 30, 8. — Pl.: in, abl. (Most. III, 2, 142).
Inicere: dat. 35, 10 (collo injiciens). — Lucr.: in, dat. — Pl.: in, dat. [injicere metaphorice dictum c. dat.].
Inferre: in c. acc. 68b, 82. dat. 64, 42. 67, 47. — Lucr.: dat. Pl.: *in*, dat. [Cf. Draeger p. 416].
Ingredi: acc. 64, 246. — Lucr.: acc. — Pl. *in*, acc.
Instruere: dat. 21, 7 (alicui insidias).
Invocare: 61, 51 te suis invocat.
Invidere: dat. 64, 170. 62, 58. absolute: 25, 6 (beneiden).
Permiscere: abl. 64, 405 [cf. commiscere: Lucr.: cum dat. (?) Pl. cum, abl.].
Praevertere: acc. 64, 342. — Plaut.: prae, acc.
Procurrere: e 65, 20. in c. acc. 64, 128. — Lucr.: ad.

Profundere: abl. 64, 202.
Prosilire: e 68b, 18.
Prospectare: abl. 64, 52 [Ablativus respondere potest ad interrogationem *ubi*? aut (quod fortasse praecedat) *unde*?]
Prospicere: ex 64, 60.
Subire: acc. 61, 161. — Pl. sub. Most. 2, 1, 10 (vide supra p..).
Subrepere: in c. acc. 76, 21. dat. 77, 3.
Substernere: dat. 64, 332. 402. — Lucr.: dat.
Suffigere: in c. abl. 99, 4. — 67, 39 hic suffixa tigillo.
Supponere: in c. abl. 67, 32. — dat 69, 2. — Plaut: sub, dat.
Suscitare: a 86b, 84. e 80, 4.

Verba cum praepositionibus composita, quae propter notionem simplicis verbi cum dativo ab omnibus scriptoribus conjunguntur omisi.

Apparet autem ex verborum compositorum structura quod iam antea indicavimus et aliqua ex parte ostendimus, inter leges veterum et recentiorum scriptorum Catullum quasi medium esse, Lucretium aliquantum veterum usui favisse.

# VITA.

Natus sum Ehrenfriedus Duderstadt in vico, cui nomen est Gr. Ottersleben, in provincia Saxonia sito, die V mensis Junii h. s. anno LVI patre Ehrenfriedo, matre Dorothea e gente Kaesebier, quorum ille ante hos octo annos diem obiit supremum. Fide institutus sum evangelica. — In vico patrio usque ad annum tertium decimum literarum elementis imbutus adii gymnasium regium cathedrale Magdeburgense, cui tunc temporis Wichert ill. vir praeerat. Septem annis interjectis, postquam ineunte anno MDCCCLXXVII maturitatis examine absolvi, in universitatem Halensem me contuli, ubi civium academiae numero adscriptus usque ad hoc tempus philologiae studiis me dedi. Audivi per septem semestria praecipue professores illustrissimos Dittenberger, Dümmler, Haym, Hiller, Keil, Kirchhoff, Kramer. Seminarii paedagogici sodalis fui et interfui exercitationibus seminarii philologici et geographici. Benigne denique Haym ut societati philosophicae interessem permisit.

Omnibus his spectatissimis viris, cum omnes de me optime meruerint, nec minus illis, qui antea ad cognoscendas literas me duxerunt, gratias quam maximas semper habebo.